NAZ.
...lcto III
6

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
C
26
NAPOLI

XXII . M. 7

112
9
1.

CASPARIS ZIEGLERI

ϹΙΔΗΡΟΞΥΛΟΝ

ECCLESIASTICVM,

SIVE

EPISCOPVS

MILES

IN VETERI ECCLESIA INVISVS

ΑΚΡΟΑΜΑ

POTISSIMVM EX JVRE CANONICO

ACCEDIT EIVSDEM DISSERTATIO

DE TONSVRA CLERICORVM

WITTEBERGAE,

APVD CHRIST. THEOPH. LVDOVICVM

MDCCXVIII.

VIRO
ET GENERE ET LITERIS
ILLUSTRI,

DN. GOTTLOB A WERTHERN,

Dynaſtæ in Beichlingen / Frohndorff / Pulßnitz / &c. &c.

Sac. Cæſ. Majeſt. & Rom. Imp. Janitori Cameræ hereditario, Sereniſſ. Saxon. Elect. Conſiliario &c.

Patrono meo ſumme colendo

VIR GENEROSISSIME,

QVantum ſtudii olim & induſtriæ in pervolutandis utriusque juris libris collocaveris, quantamq; tum ſpem & Patriæ & Parentibus ex TE feceris, plutei adhuc loquuntur & perſtrepunt in Academia Lipſienſi. In Jure Canonico, quod non niſi confirmato jam, & in reliquis jurisprudentiæ

dentiæ partibus probe exercitato in manus tradi apud nos ſolet, tam repentinos feciſti progreſſus, ut publicum eius rei ſpecimen valde juvenis exhiberes, atque inter Doctores pereruditas de JURE PRECARIÆ poſitiones ſine Præſide magno cum applauſu propugnares. Fecit ea res, ut Tuum nomen pagellis hiſce, quas nunc edo, præſcribere atque ex TUA autoritate lumen illis mutuari auſus fuerim. Exiguæ illæ ſunt atque levidenſes, neque ingenio TUO ex aſſe congruentes. Sed quia juris Canonici fragmenta haud pauca continent, & explicant, TE, qui ejus juris ſtudio adhuc teneris, Patronum facile invenient. Accipe eas ſerena fronte, meque inter Clientes Tuos, ſi id mereor, connumera. Ego ut merear, omnem movebo lapidem. Scripſi d. 13. Cal. Martii cIↄ Iↄc LXXII.

T. GENEROS.

Obſerv.

CASPAR ZIEGLERVS.

BENEVOLO LECTORI

S. P.

GEnera vivendi qui primum inter homines ſejunxit, & ex hoc diverſos fecit atque diſtinctos officiorum gradus, ipſe DEUS naturæ conditor atque arbiter fuit. Cur enim hic ad ſtivam natus non alia re magis delectetur, quam agelli ſui proſciſſione, liratione, occatione, runcatione, ſarritione & pluribus aliis rebus ad agriculturam pertinentibus, alius Reip. gubernaculis admotus non niſi edicta, leges, bella, fœdera meditetur, alius moderatioribus cogitationibus ſe ſuamque felicitatem ex eruditione metiatur, non hoc forte fortuna contingit, ſed volente ita & gubernante Deo, cum alia nulla fortuna ſit, niſi Deus & hominis debita diligentia ſibi invicem conjuncta. Facit iſtud officiorum & conditionum diſcrimen elegantiſſimam in Rep. harmoniam; ſed quæ peſſime ſæpe & minus compte atque modulare ſe habet; quando limites ſibi poſitos transſiliunt homines, & ſphæram, in qua commorari oportebat, egrediuntur. Et quanquam hoc commune atque vulgare plane

ſit vitium, neque deſint unquam, qui id, quod non ſunt, nec eſſe debent, eſſe quam maxime velint; nemini tamen probroſum id magis eſt, quam illis, qui ex religione profeſſionem faciunt, & ſoli Deo vivere intelliguntur, præſertim ſi ei rei dent operam, quæ δὶς διὰ πασῶν a ſanctiore ſtudio abeſſe creditur. Et quæ vero magis abeſſe dicetur, quam qualis hodie in ſago peragitur vita inter tot execranda militiæ dehoneſtamenta? Nec tamen vel ſublatis iis combinari honorifice & verecunde poſſunt paludamentum & mandyas, ne quidem per jocum & per modum ſpectamenti. Refert Jac. Aug. Thuanus *lib. 98. circa finem* ludicrum ab religioſis & Clericis in Galliis anno 1590. exhibitum, ſed cum cachinno & mordacitate aliqua atque argutis aculeis. *Vix fidem*, inquit, *apud poſteritatem merebitur, nec ſine riſu nunc recitari poteſt, quod boni illi Viri poſt ſeria ſua decreta ad commovendos dementis plebis animos coram Cajetano Cardinali, ac tot Epiſcopis, qui cum ex Italia ſecuti erant, Franciſco Panigarola Aſtenſi Epiſcopo, Roberto Bellarmino e Collegii Jeſuitici ſodalitio quaſi rem probantibus, inſtituerunt feceruntque; nam ſupplicationes novo & ad hunc diem non viſo paratu publice populo ſpectante per cunctos frequentes Urbis vicos celebratæ, in quibus Gul. Roſa Epiſcopus Silvanectenſis & Carthuſianorum Prior altera crucem, altera haſtam manutenentes, tanquam ſcenæ choragi & ſtrenui Machabæi, ſic enim ſe appellari gaudebant, primos ordines ducebant. Sequebantur ordine Patres Capucini, Foliaceni, Paulliani Franciſcani, Dominicani, Carmelitæ, ſuccincti omnes, & cuculla ſuper humeros rejecta quippe galeati & loricati. ſeniores primi incedebant, torvo vultu, rubentibus oculis, aprugnis dentibus, totoque corporis geſtu minas & militarem faſtum ſcenica ſimulatione referentes. His ſuccedebant juniores eodem habitu, ſclopetis armati, quos plerumque in obvios inconſiderata temeritate diſplodebant, eorumque ictu unus e Cajetani domeſticis, dum otioſus ſpectat, interfectus eſt, magno circumſtantium fremitu, qui mox compoſitus*

eſt,

eſt, ſparſa voce, quaſi ille, qui in tam religioſo ſpectaculo periiſſet, jam inter beatos Confeſſorum choros receptus eſſet, nam Cajetanum, penes quem de his rebus pronunciare jus eſſet, ita affirmare. Omnium oculos in ſe convertebat Bernardus e Foliaceno Ordine adhuc juvenis nuper HENRICO III. Rege concionibus notus apud populum, qui altero pede claudus nuſquam certo loco conſiſtens, ſed huc illuc curſitans modo in fronte modo in agminis tergo latum enſem ambabus manibus rotabat, & claudicationis vitium gladiatoria mobilitate emendabat. Quæ omnia cum intermiſtis Epodis faciebant, atque hoc mimo militantis Eccleſiæ faciem exprimi jactabant, ſubinde illud ex B. Jobo repetentes, vitam hominis militiam eſſe, cujus militiæ præmium ipſi in triumphanti Eccleſia, hoc eſt, in cœlis olim eſſent reportaturi. Sane operæ precium hic ſpectantibus Jovem atque Mercurium facere hiſtrioniam. Nunc ſpectatores Jovis ſummi cauſa clare plaudite. Sed enim non invenerunt illi, quem ſibi promiſerant, populi applauſum, cum per theatricam iſtam proceſſionem plus auſi fuiſſent, quam ut tolerari ignoſcique potuerit. Sic enim pergit Thuanus: *Hoc ſpectaculum pauci præter auctores ipſos laudabant, plures mirabantur, prudentiores indignabantur, tam ridicula pompa patientiæ tot miſerorum hominum illudi, qui obtentu religionis nulla neceſſitate cogente tot periculis objicerentur.* Excuſari vero ut maxime poſſit motorium iſtud drama, quippe in mimica actione conſiſtens & ſignificans tantum, excuſari tamen minime poterit, certe olim non potuit, ſeria & cruenta Clericorum militia. Qui diligentius anquiſitiusque decretum Gratiani pervolutaverit, multa illic ex caſtigatiſſima Veterum diſciplina inveniet, quæ noſtris moribus haud parum ſolutioribus minus commoda hodie videntur. Et in his tamen, ſi arbitrari oporteat, utra alteris præſtent, & exſuperantiora ſint, non ſatis conſipiet, meo judicio, qui antiquioribus illis contemptis, noviora hæc ſine dubio turbida magis & inverecunda ar-

ro-

rogantius & elatius præferre velit. Mihi enim vero cum ſæpiuſcule talia occurrerent, quibus Clerici omni armorum uſu & bellicis expeditionibus prohibentur, nec tamen deeſſent exempla, quibus profligata iſta videbatur diſciplina, cœpi illa, quæ Gratianus ſparſim & interciſe commemorat, ad juſtam annorum ſeriem, quibus unumquodque dictum ſcriptumve fuit, revocare, addita identidem ex veterum memoriarum libris obſervatione ſimili. *Sic* enim penetrare licuit, quibus temporibus diſciplina iſthæc mutata fuit: atque ſic Gratianus tractandus eſt, ut ex ejus compilatione emolumentum aliquod haberi queat, quo utique carere neceſſe eſt, ſi quidem nudi ſubſcriptores approbatoresque ſententiarum ab eo commemoratarum eſſe velimus. Quid præſtiterim, Lector, judicium tuum eſto. Ego interim non deſinam Auditores meos ad ſimiles in Gratiani compilationem commentarios excitare.

CAPVT

Caput I.

Seculi primi inſtituta & mores deſcribuntur, nullamque belli gerendi poteſtatem eo tempore Eccleſiæ competiiſſe, aut competere potuiſſe oſtenditur.

§. 1.

EX hoc naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculo, & primis eius principiis petenda eſt norma adultæ & ſeneſcentis. Qualem enim eam eſſe voluit, qui eam primus inſtituit, quique leges poſuit, quousque in rebus mundanis illa ſe immiſcere debeat, talis utique ad finem usque omnium temporum manere, talemque ſe gerere debet omni momento intermedio. Eccleſia cœtus eſt. Caput eius Chriſtus, qui colligit ſibi eam non immediate amplius, ſed mediate per miniſtros, quibus ſcil. id negocium dedit, ut prædicando verbum Dei, & diſtribuendo ſacramenta colligant & conſervent Eccleſiam. Inter miniſtros ſi qui potiores alii aliis fuerint, non tamen deſinunt eſſe ſub capite Chriſto, qui ut ſupremus director & exemplo & præceptis præivit, atque docuit, quales eſſe debeant, quos miniſterialem ſibi præſtare voluit operam.

§. 2. At Chriſtus ipſe, a quo omnis poteſtas Eccleſiaſtica fluxit, & cuius vita exemplar eſt omnium eius vicariorum & totius Eccleſiæ, negavit, regnum ſuum eſſe de hoc mundo, hoc eſt, eius naturæ, cuius ſunt cætera regna, addens alioqui futurum

fuiſſe, ut more aliorum Regum opera militum uteretur. *Joh. XVIII, 36. Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Ut oſtenderet, omnem uſum armorum miniſtris ſuis parum convenire, et conditionem eorum a re bellica prorſus alienam eſſe, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo dicit, nec armis proinde ad ejus conſervationem opus eſſe.

§. 3. Optime Auguſtinus ad hunc Johannis textum *tract. 119. Audite*, inquit, *Judæi & gentes: audi circumciſio: audi præputium: audite omnia regna terrena: non impedio dominationem veſtram in hoc mundo, regnum meum non eſt de hoc mundo. Nolite metuere metu vaniſſimo, quo Herodes ille major, cum Chriſtus natus nunciaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior. Regnum, inquit, meum non eſt de hoc mundo, quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non eſt de hoc mundo. Venite credendo, & nolite ſævire metuendo.*

§. 4. Quia tamen Rex eſt Chriſtus, uti ipſe profitetur *dicto Johannis capite, verſ. 37.* & rex ſine regno non intelligitur, niſi titularis, qualem Chriſtum eſſe nemo dicet, niſi qui prorſus hoſpes eſt in Republica Eccleſiaſtica, regnum aliquod ab eo poſſideri neceſſe eſt. Et hic tria ſe in Scripturis ſacris exferunt regna Chriſti, *potentiæ* unum, alterum *gratiæ*, & tertium *gloriae*. Priora duo in hac vita conſpicua ſunt, tertium demum in futuro. De gloriæ regno alias locus erit dicendi, neque huc pertinet, cum de militia huius vitæ dicere nunc oporteat. Nec de potentiæ regno ſermonem faciemus, quod ejus tanta ſit ſublimitas, ut ſuper cœlum & terram & omnia, quæ in eis ſunt, ſe extendat, nec per homines ſemper exerceatur. Sed unica nunc erit inſpectio de regno gratiæ, quod in tempore cœpit, quodque in cœtu Eccleſiæ adeoque in mundo quidem eſt, de mundo tamen non eſt, nec mundano retinetur & conſervatur more.

§. 5. Fateor tamen analogiam quandam inter regnum

Chri-

Chriſti, & regna mundana, quatenus regna ſunt, contineri, ut inter ſe quodammodo conveniant; ſed viciſſim tot paſſim intercedunt differentiæ, ut vere dictum ſit, regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo. Ecce enim in regno mundano poteſtatem mero & mixto imperio pro re nata munitam eſſe oportet, ut coerceantur & in ordinem redigantur refractarii. At in regno Chriſti locum non habet coactio, ſed tantum directio. Non enim vi coguntur homines ad obedientiam Chriſto præſtandam, ſed habet populum voluntarium collectum verbo, non coactum gladio. And. Rivet. *in Pſalm. 110. verſ. 3.*

§. 6. Viciſſim regnum diu ſubſiſtere non poteſt, niſi adverſus hoſtes externos ſuos defendere queat limites. Ideoque fortitudine bellica inſtructum eſſe oportet Regem, ut hoſtem arma inferentem reprimere & ſuos ab iniuria defendere valeat, ut ſit βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Habet etiam Chriſti Regnum ſuos hoſtes, ſua munimenta & arma, & ſua aſſidue bella. Sed illa omnia ſpiritualia ſunt, uti regnum ipſum ſpirituale eſt. *Arma militiæ noſtræ,* inquit Paulus *2. Cor. X, 4. non carnalia ſunt, ſed divinitus valida ad deſtructionem munitionum.* Univerſam πανοπλίαν & armaturam deſcribit idem Paulus *Epheſ. VI, 14. ſqq.* quam totam ab Archiſtratego & Rege Chriſto per baptiſmum accepit Eccleſia.

§. 7. Ineptiſſimi ſunt, qui præter hoc regnum, quod gratiæ alias dicitur, Chriſto in terris, dum viveret, regnum etiam tribuunt temporale, qualia ſunt regna principum terrenorum. Sic enim fabulantur nonnulli Canoniſtæ, Chriſtum habuiſſe poteſtatem illam & autoritatem terrenam, & potuiſſe, ſi voluiſſet, dum in terris erat, quatenus homo, ut alius princeps huius ſeculi, majeſtate mundana omnia regna terræ per ſe adminiſtrare directe: ab executione tamen huius dominii abſtinuiſſe, propter ſtatum humilitatis. Vid. Auguſtin. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. num. 9.* Non arbitror de ſola abſtinentia intelligi debere, cum diceret Chriſtus: *Vulpes habent foveas, & volucres*

cœli nidos : Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet, Matth. VIII, 20. Luc. IX, 58.. Diſerte dixit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Cur a. dicamus nos, eſſe quidem de hoc mundo, ſed non uſurpari? Plus credendum eſt Chriſto, quam omnibus in uniuerſo terrarum orbe Pontificis Gnathonibus. Vid. Gulielm. Barclaj. *de poteſt. pap. c. 1.*

§. 8. Cum igitur totum regnum Chriſti ſpirituale ſit, & modus etiam imperandi ſpiritualis, recte reſpondit Rex ille diſcipulis ſuis de primatu contendentibus: *Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur* (ἐυεργέται, vel uti *Matth. XX, 25. Marc. X, 42.* habetur, μεγάλοι. Vid. Bernegger. *in Sueton. Tit.*) *Vos autem non ſic*, (h. e. non debetis vos dominatum regium cogitare, nec adeo nomina dignitatum, quæ Satrapis ac dynaſtis in aula ſive Perſica, ſive alia tribuuntur, ambire) *ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut junior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Ut oſtenderet, Apoſtolos a dominatu omni & poteſtate temporali alienos ſe agnoſcere debere, miniſterium eſſe decet, ad quod vocati ſint, & utcunque alii alios excellerent, nihil tamen inde habere, niſi ut tanto officioſius pro Domino miniſtrent, carere prorſus jure illo, quod principes exercent. Et tamen dicit in ſequentibus: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum* &c. quibus ſignificat, nihil obeſſe ſubmiſſionem iſtam, quam docuit, quo minus in regno Chriſti ſumma felicitate atque dignitate fruantur, ſuumque regnum adeo plane diverſum eſſe ab his regnis mundanis. Vid. Robert. Abbot. *de ſuprem. pot. reg. prælect. 5.* Thom. Bilſon. *de perpet. Eccleſ. Chriſti gubern. cap. 3. & 6.*

§. 9. Hæc fuit publica Chriſti Regis doctrina, videamus eius praxin, & numquid ipſe diverſum fecerit imminente periculo, & hoſte adpropinquante. Sane diuerſum videri poterat, quod adueniente paſſionis ſuæ tempore ad Apoſtolos dixit *Luc. XXII, 36. Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram,*

& qui non habet, vendat tunicam ſuam & emat gladium. Videtur hic Chriſtus, uti peſſime explicant nonnulli, prioris doctrinæ veluti pœnitudine ductus, qua toties diſcipulos ſuos inſtruxit, beatos eſſe, qui perſecutionem paterentur, qui probris & ſuppliciis afficerentur, prohibens, ne quando reſiſterent malo, jam mortem perpeſſurus, oſtenſurusque eam condemnendam, Apoſtolos ipſos ad arma vocare, hortarique eos tanquam milites mundanos armata manu prædicare Evangelium. Et ſane verba iſta in hoc ſenſu etiam acceperant ipſi Apoſtoli, qui reſponderunt, in ſuo comitatu eſſe duos gladios. Et ſunt etiamnum, qui gladium interpretantur militarem apparatum, ſacculum & peram, ſufficientem commeatus proviſionem, atque hinc Epiſcopos lanceis, baliſtis, fundis & bombardis inſtructos educunt ad prædicationem crucifixi: loculis item, vidulis, & ſarcinis onerant, ne quid deſit ad hanc militiam armatam.

§. 10. At vero longe alia mens fuit Chriſti Saluatoris, uti ex eius reſponſione, conciſa licet, & abrupta conſtat. Cum enim Apoſtoli gladios iſtos duos oſtendiſſent, ſeque jam armatos exhibuiſſent, *ſatis eſt*, inquit ille, hoc eſt, non volebam meum ſermonem iſto modo intellectum, ut de gladiis materialibus comparandis cogitatio ſuſciperetur, ſed ſignificare volebam, graviſſima pericula imminere, dandam eſſe vobis operam, ut de eiusmodi mediis ac armis vobis in tempore proſpiceretis, quibus jam ingruente tribulationum æſtu vos tueri ac ſuſtentare queatis, de armis ſcil. non corporalibus, ſed ſpiritualibus. Externo gladio hoc negocium non expedietur: ſufficiunt iſti duo ad hoc, quod molior opus: imo ne his quidem egebo.

§. 11. Hunc eſſe verborum iſtorum ſenſum non doctrinæ tantum analogia probat, quippe quæ nihil aliud inculcat, quam manſvetudinem, tolerantiam, & vitæ contemptum, ſed etiam armorum illorum, quæ Apoſtoli tam prompte ſuggerebant,

ſucceſſus & eventus. Cum enim unus ex eis deinceps, poſtquam ad congreſſum ventum eſſet, extenſa manu gladium ſuum diſtrinxiſſet, & auriculam ſervi amputaſſet, obiurgavit eum Chriſtus & gladium recondere iuſſit, *Matth. XXVI, 51. 52.* ut oſtenderet ſcil. nullum horum armorum in regno ſuo uſum eſſe, de veris armis ſuæ Reip. conuenientibus cogitari debere, neque ſe aut regnum ſuum tali ui externa indigere, imo infirmam plane eſſe hanc defenſionem, cum ſi opus eſſet, aliquot angelorum legionibus, quas paratas habere poſſet, multo conſultius negocium iſtud committeretur. Et ſuperfluum igitur erat, aut inane potius, ut qui nolebat præſidio angelicarum Legionum juvari, vellet ſe unius diſcipuli animoſitate defendi.

§. 12. Ad hanc Chriſti reprehenſionem Ambroſius *comment. in Lucam 10.* Petrum ita loquentem introducit: *Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? niſi forte ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria, & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe. Lex tamen referire non vetat: & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, ſat eſt, dicit; quaſi licuerit usque ad Evangelium, ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Dominus, qui, cum ſe poſſet ulciſci, maluit immolari* &c. Hoc videtur innuere Ambroſius, in regno Chriſti alios nunc mores poſtulari, prævalere in perſecutionibus patientiam, neque armis iſtud defendi externis, ſed ſpiritualibus, galea ſcil. ſalutis, ſcuto fidei & gladio ſpiritus. Quo pertinent ea, quæ ſcribit Gratianus *in pr. cauſ. 23. q. 8.*

§. 13. Chryſoſtomus, cum ad illum Chriſti ſermonem, quo gladios emere juſſerat, commentarium produxiſſet, ſic ſcribit: *Quidnam hoc? armatne diſcipulos, qui dicit, ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram? qui præcepit, ut benedicamus his, qui nos convitiis laceſſunt. feramus invadentes, oremus pro perſequentibus, nunc armat? armatque unum tantum gladio; & quomodo hæc rationi conſona ſunt? nam ſi omnino armis opus*

opus erat, non ſolo gladio, ſed & ſcuto & galea & cruralibus armare oportebat. Et profecto ſi humano more hæc diſpenſare & agere voluiſſet, ridiculum erat hoc præceptum, quandoquidem licet ſexcenta id genus arma poſſediſſent aduerſus inſidias & impetus populorum, tyrannorum, ciuitatem gentium: quomodo potentiores habitu fuiſſent undecim? quare ergo hæc dicit? Judæorum inſidias indicare volebat, idque manifeſte, & non per ænigmata, ne iterum ſecum confunderentur.

§. 14. Quicquid igitur de emendo gladio dixit Chriſtus Apoſtolis ſuis, id longe alio ſenſu accipiendum fuit, nempe ita eos ſe gerere debere, ut prorſus expediti munus Evangelicum aggrediantur, nihil ſibi parent, niſi gladium, non iſtum, quo utuntur milites gentium, ſed gladium ſpiritus, in intimos pectoris ſinus penetrantem, qui ſemel affectus omnes ſic amputat, ut jam nihil illis cordi ſit, præter pietatem, quique porro in virtute ſpiritus adverſarios proſternit & vincit, & cujus ope ſumma quæque pericula maſcule ſuperare queant. Recte Franciſcus a Victoria *relect. 1. ſect. 6. n. 19. De duobus gladiis clarum eſt, quod in ſenſu literali nihil habetur. Sed cum Chriſtus oſtendiſſet, eos habituros contradictionem, & neceſſe eſſe habere defenſionem, ipſi errantes dixerunt: Ecce duo gladii* &c.

§. 15. Hac Chriſti doctrina & hoc ejus exemplo inſtructi & excitati Apoſtoli, non aliis deinceps armis uſi fuerunt, quam ipſis illis, quibus Doctorem ſuum uſum fuiſſe animadverterant. Petrus quidem, cum verba Chriſti in alium ſenſum accepiſſet, gladio ſtricto amputaverat auriculam unius ex miniſtris Pontificis, ſed cum improbatum id eſſet facinus ab ipſo Chriſto, & eo quidem tempore, quo defenſione maxime opus erat, ſibi nunc aliis armis utendum eſſe, facile colligere poterat. Reliquos vim iſtiusmodi armatam & externam abhibuiſſe nullibi legimus. Quin potius jubet Apoſtolus Paulus *1. Tim. III, 3.* Epiſcopum, ne ſit percuſſor; tantum abeſt, ut arma illi permittat, quibus vim inferat. Et de militia eorum Chriſtiana fidem facere

re poſſunt cruenta martyria, & atrociſſima ſupplicia, quibus plerique omnes affecti fuerunt.

§. 16. Utque eo minus dubitemus, nihil tum tentatum fuiſſe ab Apoſtolis, quod militiæ aliquam ſpeciem habere poſſit, quodque ad arma capeſſenda & vim faciendam animare eos potuiſſet, audiamus curriculum vitæ quod exponit ipſe Paulus *1. Cor. IV, 9. ſeq. Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. - - - Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur & inſtabiles ſumus. Et laboramus, operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur & obſecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc &c.* Quis vero jam crederet, animum fuiſſe talibus hominibus armis cum quoquam decertandi? præſertim cum ex regula non reſiſtere malo tenerentur.

§. 17. Hæc fuerunt naſcentis Eccleſiæ initia, hæc ejus praxis. Et Apoſtoli quidem omnes uno excepto Johanne, qui miraculoſe in ferventi oleo conſervatus omnium diutiſſime vixit, graviſſimis ſuppliciis ex hac mortalitate ſublati fuerunt. Vid. Joh. Henr. Hottinger *Hiſtor. Eccleſ. part. 1. cap. 1. ſect. 2. pag. 27. 28.* Neque quisquam legitur ſectatores ſuos, quos ſane innumeros adepti fuerant, ad arma concitaſſe, aut defenſionem militarem paraſſe, quanquam id eis fortaſſe facile fuiſſet, ſed perſecutoribus ſuis & carnificibus lubenti animo colla ſubmiſerunt, feliciſſimos ſe in hoc credentes, quod ædificatis jam tot Eccleſiis, & ad Chriſtianorum fidem converſis tot animabus, conciones ſuas morte obſignare licuerit. Et hi ſcil. fuerunt Epiſcoporum omnium primi, atque Clericorum omnium, quotquot deinceps in conſortium miniſterii vocari debuerunt, exemplar, ut ſi quis diverſum quid ab his, quæ ab Apoſtolis acta ſunt, & his contrarium fecerit, Apoſtolicum id non eſſe, tuto concludere liceat.

§. 18.

§. 18. Inſecutæ ſunt mox poſt Apoſtolorum tempora, imo illis adhuc viventibus, in omnes eos, qui Chriſto nomen dederant, graviſſimæ perſecutiones. Etſi enim Tiberius cognita ex Pilato Chriſtianorum doctrina, edicto, ne quis Chriſtianos accuſare auderet, addita ſupplicii capitalis interminatione ſanxiſſet, uti eius rei mentionem facit Tertullianus *in apolog. cap. 5.* Nero tamen & Domitianus ſeculo hoc primo infinita crudelitatis & ſævitiæ in Chriſtianos ſpecimina ediderunt, captatisque undiquaque occaſionibus ferro & flamma miſere eos, ut prorſus extirparent, perſecuti ſunt. De Nerone hæc refert Tacitus *lib. 15. annal. Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur, &c.* Domitianum portionem Neronis de crudelitate vocat Tertullianus *d. l.* Ejus immanitatem & ſævitiam in proprios cives, etiam non Chriſtianos, deſcribit Svetonius *in ejus vita.*

§. 19. Inter has perſecutionum procellas non arbitror quenquam inter Chriſtianos ad arma confugiſſe, & ferrea manu defenſionem paraviſſe. Neque enim de hoc legitur quicquam. Imputabantur quidem Chriſtianis mala omnia & calamitates publicæ, unde & Neronem adverſus Chriſtianos ex incendio, quod Romam conſumpſerat, occaſionem ſævitiæ ſumpſiſſe, refert Tacitus *d. l.* Nec tamen illi innocentiam ſuam unquam per arma, ſed per libros tantum apologeticos, quales adhuc proſtant Juſtini Martyris, Tertulliani, Arnobii, Minutii Felicis & aliorum, propugnarunt. Nec vero vel vires uel poteſtatem defuiſſe dici poterit, cum Apoſtolorum doctrina omnes illico terræ angulos breviſſimo temporis ſpatio pervagata Chriſtianos plane innumeros fecerit, atque inter eos interdum tales, qui poteſtate publica pollebant, quales fuerunt Cornelius Centurio *Act. X, 1.* & Sergius Paulus Proprætore *Act. XIII, 7.*

§. 20. Quod ſi ad hoc ſeculum primum referendi eſſent canones, qui dicuntur, Apoſtolorum, uti quidem referri in Eccleſia Romana communiter ſolent, jam tum eo tempore ſcriptum inveniemus canonem, quo Clericis militare interdicitur. Sic enim legitur *can. LXXXIII. Epiſcopus vel presbyter, vel Diaconus exercitui vacans & utraque obtinere volens Romanum ſcil. magiſtratum & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur : Quæ ſunt enim Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Verſio hæc legitur apud Franciſcum Longum a Coriolano *in ſumm. Concil.* eſtque haud paulo preſſior & ad bellicas res adſtrictior. In græco eſt στρατείᾳ σχολάζων, quod alii rectius in genere vertunt, operam dans militiæ. Στρατεία enim non militiam tantum armatam aut militum præfecturam ſignificat, ſed civilem etiam militiam, h.e. magiſtratum vel dignitatem, ἀρχὴν, ἀξίαν. Militare enim etiam dicuntur, qui munus aliquod, officiumve in palatio aut comitatu principis gerunt & aliqua dignitate aut adminiſtratione funguntur. Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. Can. Eccleſ. African. can. 16.*

§. 21. Sumas vero licet vocabulum στρατείας in latiore hoc ſignificatu, dubitari tamen nequit, etiam bellicam & armatam militiam, & hanc quidem principaliter, ſub eo contineri. Jmo vero, qui prohibetur magiſtratum vel dignitatem civilem ambire aut ſuſcipere, ideo quod Deo vacare nequeat, multo magis prohibitus cenſetur affectare & ambire officium in militia armata, quia in hac minus Deo vacare poterit, cum dolus, aſperitas, injuſtitia propria fere ſint negocia præliorum, uti loquitur Tertullianus. Et ſi compatibiles non ſunt magiſtratus civilis, & ſacerdotalis adminiſtratio, minus adhuc compatibilia erunt paludamentum & Epiſcopale μαντίον, quia ſcil. ab ſacerdotio plus recedit militia armata, quam civilis. Utriusque retentio ſub depoſitionis pœna prohibetur. Et quia dignius eſt munus ſacerdotale, & ei pro lubitu renunciari non poteſt, omnis ei militia ſive togata ſive ſagata cedere debet, cum qui ſe-

mel

mel Deo operam ſuam addixit, omittere eam ſine manifeſta in Deum injuria nequeat.

§. 22. Ne tamen quid diſſimulemus, canones illi, Apoſtolici vulgo dicti, & autoritate deſtituuntur & chronologia. Nec enim ſatis conſtat, quo tempore & a quo conſarcinati fuerint, quod plenius demonſtravi in diſſert. *de orig. & increm. jur. Canon. num. 8. ſeq.* Quia vero negari nequit, pleroſque eos antiquiſſimos eſſe, & veteris Eccleſiæ inſtituta compendioſe exponere, malo hic ad communem errorem, quod nullum hinc nobis inpræſentiarum exoriatur damnum, connivere, & canonem allegatum ad ſeculi primi tempora attexere, quam ſollicite inquirere & dubitare tandem, cui ætati & tempori vindicari & tribui ille debeat.

§. 23. Ex quibus omnibus hoc conficitur, nullum ſeculo primo extare exemplum, (Petrum Apoſtolum ſi excipias, ſed quem a Domino reprehenſum mox mutaſſe ſententiam dixi,) quo doceri poſſit, arma Clericis convenire & ab Epiſcopis licite tractari. Agnovit id ex parte Sixtus Senenſis *biblioth. ſanct. l. 6. annot. 156.* ubi poſt Hugonem Carenſem, cujus verba explicat, de intellectu dicti ſupra ex *Luc. XXII, 36.* citati ſollicitus eſt, & Chriſtum conceſſiſſe, ait Apoſtolis juſtum gladii uſum, non in propria quidem ipſorum perſona, nec pro eo tempore, ſed in perſona totius Eccleſiæ & pro futuro tempore, quia exordio naſcentis Eccleſiæ armorum uſus minime conveniret. Sic igitur ex ſententia Carenſis & Senenſis Eccleſia, poſtquam plantata eſt, opus habuit gladio, quo non indiguit, cum plantaretur, & tum demum licuit Clericis gladio accinctis in prælium ire. At vero utrumque falſum eſſe, ex genuina verborum Chriſti explicatione, quam ſupra propoſuimus, pateſcit. An exercere poſſe putabimus Epiſcopos actum talem, quem exercere prohibiti fuerunt Apoſtoli, Epiſcoporum anteſignani? An Apoſtolis aliquid præceptum dicemus, ſed cui parere ipſi non tenerentur, verum poſt eos demum, qui ſucceſſuri ſint?

Magis neceſſaria eſſe arma & defenſionem ſollicite magis parandam eſſe tum, cum res extruitur, quam poſtquam extructa eſt, patet ex *Nehem. IV.* Imo vero Eccleſiam majora incrementa accepiſſe tum, cum nullus pro ea eſſet armorum uſus, cumque omnia omnium gentium arma in eam converſa eſſent, quam poſtquam ipſa ſua exſerere cœpit arma, ex hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt. Nihil ergo eſt, quod diverſitatem facit Senenſis inter Eccleſiam Apoſtolorum & deinceps ſucceſſuram.

CAPUT II.

In hiſtoria ſeculi ſecundi nihil inveniri, quod excuſare poſſit armatam Epiſcoporum militiam.

§. 1.

GRaviſſimæ hoc ſeculo, & iteratæ, atque continuatæ fuerunt perſecutiones, ex quibus tanta Chriſtianiſmum ſuſcipientibus ferenda & metuenda erant mala, ut mirandum ſit, inventos fuiſſe, qui malorum iſtorum cauſas non abhorruerint, & Eccleſiam tantorum malorum officinam ſponte adierint. Honoribus arcebantur diu Chriſtiani, acceſſerunt mulctæ & bonorum publicationes, & exilia: ſed leuia hæc: damnabantur ad metalla: iis afficiebantur tormentis, quibus crudeliora nulla reperiri poterant: ſupplicia vero ad mortem tam frequentia erant, ut teſtentur illorum temporum ſcriptores, nulla fame, nulla peſtilentia, nullo bello plus hominum uno tempore abſumptum. Nec vulgaria erant mortium genera, ſed vivicomburia, cruces atque id genus pœnæ, quæ ſine maximo horrore legi aut cogitari non poſſunt. Hug. Grot. *de verit. relig. Chriſt. lib. 2.*

§. 2. Suppliciis tamen his nihil omnino obſtantibus latiſſime

tiſſime per univerſum orbem propagata eſt hoc ſeculo Chriſtiana religio. Sic enim ait Juſtinus Martyr, qui poſt Apoſtolica tempora fere primus fuit eorum, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, *in dial. cum Tryphon. Ne unum quidem genus eſt mortalium, ſive barbarorum, ſive Græcorum, ſeu etiam aliorum quocunque veniant nomine, ne eorum quidem, qui pro domibus plauſtris utuntur, ac in tentoriis agunt paſtoritiam, inter quos nomen crucifixi Jeſu ſupplicationes & gratiarum actiones patri & fabricatori rerum omnium non fiant.* Similia habet Irenæus *lib. 1. cap. 3.* Tertullianus *adv. jud.* & alii. Inter converſos autem plurimos fuiſſe natalibus conſpicuos veroſimile eſt, ut maxime illi vel dignitatibus arcerentur, vel eas reſpuerent. Patet id ex verbis Minutii Felicis *in Octavio: Nec de ultima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus* &c. & Tertulliani *in Apolog. cap. 1. Obſeſſam vociferantur civitatem, in agris, in caſtellis, in inſulis Chriſtianos, omnem ſexum, ætatem, conditionem, & dignitatem transgredi ad hoc nomen quaſi detrimento mœrent* &c. Nec tamen quisquam tum fuit, qui defenſionem ſibi ex armis paraverit, tantum abeſt, ut Clericos id auſos fuiſſe dicamus.

§. 3 Quin & in caſtris integræ ex Chriſtianis ſcriptæ tum fuerunt legiones, qualis fuit illa, quæ ſub Marci Aurelii ductu, cum exercitus immenſam pateretur ſitim, & hoſtis immineret, fuſis ad Deum precibus, & fulmen hoſtibus exitioſum, & ſibi imbrem exoravit, quæ legio κεραυνοβόλος ſeu fulminatrix deinde dicta eſt. Euſeb. *lib. 5. hiſt. Ecclef. cap. 5.* Nec tamen inter Chriſtianos milites quisquam fuit, qui, cum propter religionem ad ſupplicium vocaretur, non libenti animo mortem oppeteret, aut ne id fieret, commilitones ad arma vocaret. Sed & pro exercitibus Imperatorum etiam infidelibus orare ſolebant Chriſtiani, ne principum ſuorum expeditionibus parum favere exiſtimarentur, etſi ſcirent, poſt finem bello impoſitum cruentiſſimas ſibi imminere perſecutiones.

§. 4. Quod ſi jam Epiſcopos, qui hoc ſeculo vixerunt, eorumque mores attendere velimus, & quidem in Eccleſia Romana Alexandrum, Sixtum, Teleſphorum, Higinum, Pium I., Anicetum, Soterem, Eleutherium, Victorem I. in Eccleſia Hieroſolymitana, Juſtum, Zacheum, Tobiam, Beniaminem, Johannem, Matthiam, Philippum &c: in Antiochena Ignatium, Heronem, Cornelium, Erotem &c: in Alexandrina Cerdonem, Primum, Juſtum, Eumenem, Marcum &c. alios in aliis Eccleſiis, & Clericos tum temporis omnes, totam eorum vitam ad pietatem, probitatem, ſimplicitatem, patientiam & charitatem compoſitam fuiſſe obſervabimus. Plurimi eorum, & in Romana quidem Eccleſia plerique martyrio coronati fuerunt, quos in armis præſidium aliquod, aut ſpem defenſionis habuiſſe, nemo ſanus aſſeret.

CAPVT III.

In ſeculo tertio quis fuerit Eccleſiæ ſtatus, Tertulliani verbis exponitur, ſimulque oſtenditur, creditum eo tempore fuiſſe, Clericis armorum uſum plane non convenire.

§. I.

SÆvitum hactenus fuit in Chriſtianos atrociſſimis & exquiſitiſſimis ſuppliciis, & illorum tamen numerus quotidie magis excreſcebat, ut ipſi mirarentur Gentiles, ſuperari ſe ab illis, qui religionem profiterentur Chriſtianam. Poterat hic cœtus formidabilis illis exiſtere, præſertim poſtquam ſuſpicio invaluerat, Chriſtianorum coitiones, quæ noctu aut ſummo mane ante Solis exortum frequenter inſtituebantur, ſacramentis quibusdam conteſſerari in perniciem publicam; neque id ignorabant Chriſtiani, quoties oculos ad multitudinem retuliſ-

tuliſſent, poſſe ſe adverſus perſecutores ſuos non difficulter victores exiſtere, ſi quidem manu conſerta pugnandum eſſet, verum id religioni ſuæ adverſum eſſe, neque licere ſibi ſuperioribus reſiſtere, perpetuo profitebantur.

§. 2. Argumentum hoc eleganter amplificat Tertullianus, qui circa initium hujus ſeculi tertii floruit, *in apolog. cap. 37.* *Quid tamen*, inquit, *de tam conſpiratis unquam denotatis, de tam animatis ad mortem usque pro injuria repenſatis? quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit, ut aut igni humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totius orbis. Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, Urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes ſolius divortii inuidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcunque amiſſio civium, imo & ipſa deſtitutione puniſſet. Procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortuæ urbis quæſiſſetis, quibus in ea imperaſſetis. Plures hoſtes quam cives vobis remanſiſſent. nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum pene omnium civium, pene omnes cives Chriſtianos habendo* &c. Hæc Tertullianus inter latinos patres, Vincentii Lerinenſis judicio, omnium facile princeps.

§. 3. An vero nunc putabimus, vigentibus his Chriſtianorum

norum moribus potuiſſe vel debuiſſe Clericos ad capienda arma animum ſibi ſumere? Utique non decet ſæpe Clericos, quod Laicis ornamento eſt. At quod Laici ipſi averſantur, quod ſibi minus decorum eſſe agnoſcunt, numquid Clericis id indulgendum fuerit? Juſta Tertulliani ævo belli gerendi videri poterat cauſa, defenſio religionis, cruentiſſimarum perſecutionum & vis quotidie illatæ propulſatio; ſed adduci tamen Chriſtiani non poterant, ut arma caperent, & vim vi repellerent, ita ſine dubio ab Epiſcopis & Clericis edocti & ex verbo divino informati. Quod igitur Chriſtiani promiſcue omnes ſtudioſe vitarunt, id multo magis Eccleſiæ miniſtros vitaſſe putandum eſt, cum in tali materia a majori ad minus argumentari ſecure liceat.

§. 4. Idem hoc argumentum eodem hoc ſeculo tertio ſpecialius tractavit Origenes ab ingenio laboribus infracto & indomabili Adamantinus & χαλκέντερος dictus, ad finem operis adverſus Celſum. Huic enim hortanti, ut Chriſtiani ſub Imperatore ſtipendia mererent, & militiam re ita poſtulante ne detrectarent, reſpondet Origenes: *Nos ſuo tempore auxilium Imperatori ferimus, ſed divina non humana freti armatura, pro Regibus & magiſtratibus ab Apoſtolo moniti 1. Tim. II. obſecrantes. Et quo cujusque pietas inſignior, eo majorem opem fert quam vel ſtantes in procinctu milites, vel quotquot ex hoſtibus poſſunt, occidentes: ſic etiam reſpondemus infidelibus nos ad militiam pro Rep. cædesque hominum urgentibus. En veſtrorum quoque numinum Sacerdotes & Neocori delubrorum cuſtodes dexteras ſervant puras a ſangvine ſacrorum cauſa, ut incruentis impollutisque cæde manibus victimas diis ſolennes offerant, neque delectus habetis: ſacrificorum ordine, ut bellis ingruentibus militare hi cogantur. Quod utique ſi jure facitis, quanto magis aliis militantibus noſtri homines, ut Dei Sacerdotes, manus quidem puras ſervant, & orando potius quam belligerando decertant pro Principe & milite legitimum bellum gerente, ut hoſtilia cuncta & bonis adverſantia deſtruantur.* Pre-

Precibus itaque dæmonas omnes bellorum excitatores, pacis & fœderum turbatores dum profligamus, Regibus plus conferimus, quam qui arma geſtant: ſic nos præ aliis pugnamus pro Cæſare, etiamſi cum eo non militemus, in propriis tamen privatisque pietatis caſtris ejus ob gratiam votis velut auſpiciis rem gerimus. Quod ſi nos velit inſuper pro patria pugnare, & militaribus fungi præfecturis, ſciat, nos hoc quoque ſedulò facere, non in hominum quidem conſpectu, ad captandam gloriam, ſed e mentis noſtræ recondito pro patria preces, haud ſecus quam ſacerdotes & vota fundimus.

§. 5. Hæc de ſui temporis Chriſti fidelibus Origenes, omnibus quidem, ſed Eccleſiarum maxime præfectis, quo inprimis facit, quod gentiles exemptos bellicis muneribus faciant ſuos ſacerdotes. Et de miniſtris Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatim ſubdit Origenes Celſo urgenti ad Remp. gerendam, *Et ſic, preculis inquam, non ferro Clericis principi cuique ſuo militandum.* Etſi vero de Origenis autoritate multum diſputetur inter Theologos criticos, nec uniformiter de illo ſentiant omnes, plurimis eum non adeo benevole excipientibus, aliis e contrario defendentibus, qua de re videri poſſunt Jacob. Merlinus *in apol.* Theod. Beza *in præfat. ad Nov. Teſt.* Gerhard. Joh. Voſſius *in hiſtor. Pelag. paſſim, inprimis p. 19. 149. 540.* Petrus Halloixius *in defenſ. Orig.* Gisbert. Voët. *vol. 1. diſp. pag. 452.* id tamen plerumque fit, ubi de fide negocium eſt. Circa diſciplinam & mores, quid ſuo ſeculo obſervatum fuerit in Eccleſia, non arbitror cujusquam erroris convinci eum poſſe. Neque hoc vult Origenes, militare Chriſtianis plane non licere, ſed hoc vult, plus facere Chriſtianos precibus ſuis, quam qui arma geſtant. De Clericis autem ſine dubio ejus fuit ſententia, arma eis plane non convenire.

§. 6. Neque dubitare de hoc poterit quisquam, qui perpendere velit, quam ſollicita tum temporis fuerit Eccleſia, ne ſacerdotes a cura ſacra abſtrahantur, & negociis munere ſuo alienis implicentur. Extat inter Epiſtolas Cypriani, qui eodem hoc ſe-

culo claruit, una ad Clerum & plebem Furnitanorum, in qua graviter commotum ſe eſſe dicit, cum cognoviſſet, quod Geminius Victor Geminium Fauſtinum presbyterum contra Eccleſiæ ſtatuta teſtamento tutorem nominaverit, jubetque, ne pro dormitione ejus fiat oblatio, neve deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur. Epiſtola iſta legitur in Collectione Concil. Regia *tom. 1. pag. 471.* Nec alia ejus rei redditur ratio, quam quod Clerici non niſi altari & ſacrificiis deſervire & precibus atque orationibus vacare, non autem rebus ſecularibus occupari debeant. Quod ſi ex tutelis, quæ pietatis opera videri poterant, tanta præſumpta fuit in Clericali munere deſidia & corruptela, non minor ſane præſumi potuit ex militia armata, in qua haud paulo major a ſacerdotio apparet diverſitas & inconvenientia.

§. 7. Cæterum, quod de Sacerdotum & ædituorum apud gentiles habita immunitate & privilegio exemptionis retulit Origenes, ex Romuli lege eſt, qua ſcil. edixit, ut ſacerdotes a militaribus officiis cæteriſque muneribus & præſtationibus publicis immunes & liberi eſſent, referente Dionyſio Halicarnaſſ. *lib. 2.* cujus præcipua ratio eſt, ne in diuerſa diſtrahantur Sacrificuli. Sic enim etiam Plutarchus in *quæſt. Rom. num. ult.* disquirit, cur flaminibus Dialibus permiſſum non ſit, ut magiſtratum ſuſcipiant aut ambiant? *Aut*, inquit, *quod cum certæ & ordine definitæ eſſent Sacerdotum actiones, Regum vero ordine carentes & infinitæ, fieri non poterat, ut qui Rex ſimul ſacerdosque eſſet, diverſi generis in eundem temporis articulum incidentibus negociis, utrumque procuraret: ſed neceſſe erat futurum, ut utroque urgente alterum omitteret, itaque interdum deos rite non coleret, interdum civibus eſſet damno. Aut quod in magiſtratus humanos intuentes, quum non minus neceſſitate eos quam poteſtate adminiſtrari obſervarent, populique principem (quod de medico Hippocrates pronunciavit) multa horrenda adſpectu videre, multa tangere, & ex alienis miſeriis pro fructu ſuas capere moleſtias, impium rati ſunt, iſtum diis ſacrificare, & auſpicem eſſe divini cultus, qui damnationibus & capitalibus, lethoque finitis ſup-*

ſuppliciis civium (non raro etiam cognatorum & domeſticorum, ut Bruto uſu venit) interfuiſſet. Patet hinc, gentiles agnoviſſe, decentiſſimum eſſe, imo neceſſarium, utrerum ſacrarum miniſtri à civilium rerum regimine & armorum bellicorum uſu alieni manerent.

CAPUT IV.

Seculo quarto quid obtinuerit, disquiritur.

§. 1.

HActenus nullum in Eccleſiaſtica hiſtoria apparuit veſtigium, ex quo Epiſcopos & Clericos vel ipſosmet arma tractaſſe, vel ad arma aliorum confugiſſe probabiliter colligi potuerit. Inpoſterum vero aliqua occurrent exempla, ſed Eccleſiæ Orthodoxæ parum adhuc probata, quando vel invitis arma induta fuerunt, in contemptum ſcil. atque ignominiam, vel ab illis, qui ex Eccleſia egreſſi, hoſtes illius acerbiſſimi facti fuerunt. Fuit quidem hæc ſeculi felicitas, quod per Conſtantinum & ſequentes Imperatores profeſſio Chriſtianorum non tuta tantum, ſed & honorata facta fuerit, mundo veluti intruſo in Eccleſiam, ſed gliſcentibus primum hæreſibus & erumpentibus, deinde inter ipſas perſonas Eccleſiaſticas acerrimis concertationibus talia commiſſa & perpetrata fuerunt facinora, quæ ipſam totam Eccleſiam apud gentiles pudendum in modum proſtituerunt.

§. 2. Primum & præcipuum malum ex Ariana hæreſi natum erat, ſed quod per Conſtantini Imperatoris prudentiam, quantum fieri poterat, reprimebatur. Poſt ejus obitum filius Conſtantius non modo hæreſis illius ſe profitebatur fautorem, ſed eius etiam dilatandæ ſtudio cuncta miſcebat & turbabat. Erat tum inter Orthodoxos in Alexandrina Eccleſia maxime celebris A-

thanaſius, in cujus exitium omnes Arianorum curæ cogitationesque converſæ erant. Cumque ille ex Galliis Conſtantini junioris literis inſtructus Alexandriam rediiſſet, adverſarium mox habuit Euſebium Nicomedienſem Arianæ ſectæ addictum, qui cum ſua factione effecit, ut Athanaſio ejecto Gregorius Cappadox ſubſtitueretur.

§. 3. Hic vero Gregorius militari manu adueniens, ingenti mox patrata cæde ſedem illam occupabat. *Coacta enim multitudine ex bubulcis, opilionibus & forenſi vulgo*, uti loquitur ipſe Athanaſius *in epiſt. ad ſolit. vit. ag. una cum protervis juvenibus cum gladiis & fuſtibus templum Quirini invadunt, alios mactant, alios pedibus obterunt, plerosque conciſos, partim in carcerem, partim in exilium conjiciunt, multasque fœminas miſeris modis captatas publice ad tribunalia crinibus trahunt, tractasque contumeliis indigniſſime afficiunt: aliorum bona fiſco addicunt, aliorum alimenta intervertunt, nulla alia de cauſa, quam ut eos ad partes Arianorum & Gregorium recipiendum, quem Imperator miſerat, compellerent* &c. Habemus ergo hic Epiſcopum ex armis præſidium quærentem, & hunc forte primum, quod ante eum vim talem inferre propter perpetuas in Eccleſia perſecutiones nemo auſus fuerit. Audiamus jam quid de hoc facto Eccleſia Orthodoxa judicaverit, & verbis quidem ipſius Athanaſii *ex. dict. epiſt.* quo præcipue per id tempus res Eccleſiæ nitebatur.

§. 4. Primum autem exprobrat Euſebianis Athanaſius, quod ad Synodum ſe ſiſtere noluerint, & ſe ob bella Perſarum venire non poſſe prætenderint. *Quid negocii*, inquit, *Epiſcopis cum bello?* Deinde de Gregorio dicit, quod ſtultus homicida carnifex & contumelioſus, fraudulentus & in ſumma Chriſti hoſtis factus ſit. Inter alia vero hæc ejus ſunt verba: *Cæterum iſta ideo patravit, quia neque ſecundum Eccleſiaſtica inſtituta creatus erat, neque pro Apoſtolica traditione nomen Epiſcopi obtinebat. Sed ex palatio cum militari manu & magnifica pompa miſſus fuit, non aliter, quam ſi ſecularis magiſtratus ei demandatus eſſet. Ideoque majori*

ſtudio

ſtudio magiſtratuum amicitiam, quam Epiſcoporum aut monachorum ſectabatur. Si quando igitur pater Antonius ad illum e montanis ſcribebat, quemadmodum pietas peccatori in abominationem eſt, eodem quoque modo ſancti viri ſcripta abominabatur. Quod ſi Imperator aut Dux exercitus aut alius quiſpiam judex ad eum literas dediſſet, ita lætus alacerque erat, quemadmodum ii, de quibus in proverbiis non ſine querimoniis dicitur: O qui relinquitis vias rectas, qui malis oblectamini & gaudetis converſatione malorum &c.

§. 5. Tria in Gregorio reprehendit Athanaſius, & quod manu militari Epiſcopatum occupaverit,& quod magiſtratus ſecularis ſplendorem imitatus fuerit, & quod cum Epiſcopis aliis pene nullam, cum ducibus belli vero frequentem habuerit converſationem. Has non eſſe vias rectas ait, quas inire oportuit. Et in *Epiſt. ad Orthod. in perſecut.* dicit, famam iſtius negocii tunc ut in re nova (quod ſcil. Gregorius ſeu Georgius ille ſatellitio ſtipatoribusque in Cathedram indroductus fuerat) & nunc quoque poſt rem peractam, perturbaſſe omnes. Quæ porro & quanta ab Ariano illo Epiſcopo in Eccleſia Alexandrina perpetrata fuerint facinora, longo ordine utrobique ab Athanaſio recenſentur. Et mirari profecto licet, qui tam ſuperbi & elati fieri potuerint Epiſcopi, qui Chriſtianos ſe dici voluerunt, vix ceſſantibus & in plerorumque memoria adhuc tum hærentibus perſecutionibus. Conf. Socrat. *hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap.* 8.

§. 6. Atque hæc tum turbæ in Alexandrina Eccleſia propter Epiſcopatum agitabantur. Paſſa vero hoc eodem ſeculo non minores tumultus eſt Eccleſia Romana, Damaſo ſcil. & Urſicino a diverſis factionibus ſimul Epiſcopis conſtitutis. Quo ex facto tanta ſeditio, imo vero tanta bella exorta ſunt, utrumque ſic defendentibus populis, ut replerentur humano ſanguine orationum loca. Ruffin. *hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 10.* Socrat. *lib. 4. c. 24.* Sozom. *lib. 6. c. 23.* Rem geſtam refert Ammianus Marcellinus *lib. 27.* his verbis: *Damaſus & Urſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrime con-*

ſlictabantur, adusque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriusque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Viventius, nec mollire, vi magna coactus ſeceſſit in ſuburbanum: & in certatione ſuperaverat Damaſus, parte quæ ei favebat, inſtante. Conſtatque in baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægre delinitam &c.

§. 7. Quid Damaſus, quid Urſicinus in iſta tragœdia fecerint ipſi, quantumque partes ſuas adjuverint, dicere non habeo. Credibile tamen eſt, non omni prorſus eos caruiſſe culpa, cum utique ἡ δημαγωγία in Epiſcoporum manibus eſſet, & illi monendo, dehortando, increpando munus ſuum expedire debuiſſent, quod tamen feciſſe eos nullibi legitur. Interim vero hoc inde diſcere licet, ſenſim ad arma adſuefactos fuiſſe Epiſcopos, atque ut Epiſcopales ſedes acquirerent aut retinerent, modos interdum violentos adhibuiſſe. de qua re plena eſt hiſtoria temporum & ſeculorum ſequentium.

§. 8. In recta vero Eccleſia hoc tempore adhuc indecens & probroſum fuiſſe, ab Clericis arma tractari, fidem facit, quod ſcribit Sozomenus *lib. 5. hiſt. Eccleſ.* Julianum Apoſtatam Clericos omnes Cappadociæ in numerum militum, qui præfecto illius regionis parebant, adſcribi juſſiſſe, eamque rem & plurimum ſumptus requiſiviſſe, & in Exercitibus Romanis maximo probro habitum fuiſſe. Ignominæ hæc fuit ſpecies, qua ægre facere miniſtris Eccleſiæ voluit Julianus; ignominia autem non fuiſſet, ſi Clericis militare in caſtris licuiſſet. Neque igitur in exercitibus Romanis tantum probroſum id fuit, ſed inter ipſos etiam Chriſtianos reliquos & in univerſa Eccleſia; quanquam probroſum eſſe nequeat, quod fit a non conſentiente & invito.

§. 9. Eodem hoc ſeculo claruit Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, cui illuſtre hoc elogium adſcribitur a Ruffino *lib. 2. cap. 16.* quod, cum Juſtina Valentiniani junioris mater Arianæ hæreſeos alumna Eccleſiam Mediolanenſem valde turbaſſet, & filii

filii autoritate in eam rem abuſa fuiſſet, ipſe adverſum reginæ furorem, non ſe manu defenſaverit, aut telo, ſed jejuniis continuatisque vigiliis ſub altari poſitus per obſecrationes defenſorem ſibi atque Eccleſiæ Deum paraverit. Non certe deerant vires Ambroſio ad repellendam vim, quæ imminebat. Fuerat ille antehac provinciæ præfectus dignitateque ornatus conſulari, uti ejus conditionem deſcribit Socrates *lib. 4. cap. 25.* adſvetus igitur regimini & ab armis non alienus. Præſto erat circumfuſa multitudo, quæ militibus Ambroſius in exilium abducturis reſiſtebat, & vel mori citius, quam ſacerdotem deſerere ſtatuerat. Sozomen. *lib. 7. cap. 13.* Et ille tamen non aliis pugnabat armis, quam lacrymis & precibus.

§. 10. Hanc ſuam militiam deſcribit ipſe Ambroſius in oratione contra Auxentium, cujus fragmentum refert Gratianus *c. non pila 23. q. 8.* his verbis: *Non pila quærunt ferrea, non arma Chriſti milites. coactu repugnare non novi: ſed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma adverſus milites. talia enim ſunt munimenta ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. fugere autem & relinquere Eccleſiam non ſoleo. ſervus Chriſti non cuſtodia temporali ſed domini providentia perire conſvevit.* Immutata eſſe paulisper hæc apud Gratianum verba, neque duos illos initiales dimetros jambicos apud Ambroſium inveniri, & verba tota, etiam uberiora ab eodem Gratiano referri *infr. c. 21. ibid.* notarunt jam illi, qui juſſu Gregorii XIII. Pontificis, Gratiani decretum reviderunt.

§. 11. Ad orationis ejus, quam contra Auxentium ſcripſit, finem ſic porro ait Ambroſius: *Si objiciunt, quod a pauperibus defenſionem requiram, non nego, ambio etiam. habeo, inquam, defenſionem, ſed in orationibus pauperum. Cæci, claudi, debiles, ſenes bellatoribus fortiores ſunt, pauperum munera Deum obligant velut fœnerando Proverb. 19. Bellatorum præſidia divinam ſæpe gratiam non merentur; hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt, plane non abnuo. Grande carmen, quoque nihil poten-*

potentius, Trinitatis fides verſibus prædicata, confeſſio populi totius ore celebrata. Conferri poterunt ea, quæ prolixe refert idem *epiſt. 33. ad ſororem Marcellinam.*

§. 12. Ne vero hanc ſolius Ambroſii ſingularem, voluntariam & plane non debitam modeſtiam fuiſſe dicere quis queat, addam adhuc aliam inſignis Eccleſiæ Doctoris, Johannis Chryſoſtomi ſcil. qui ſub finem hujus quarti ſeculi claruit, ſententiam. Is vero ad verba *Eſa. VI. vidi dominum homil. 4.* cum ſacerdotis Regi Oziæ reſiſtentis exemplum ex *2. Paralipom. XXVI, 18.* retuliſſet, ſic ait: *Ejus tantum eſt arguere, liberamque præſtare admonitionem, non arma movere, clypeos uſurpare, lanceam vibrare, arcum tendere, jaculum mittere. Poſteaquam ergo ille arguiſſet, hic non receſſiſſet, ſuaque (hoc eſt, regia) abuteretur poteſtate, ibi Sacerdos, Deo quod mei erat officii præſtiti, nihil amplius poſſum, ſuccurre ſacerdotio, quod conculcatur: neque vero defuit ei dominus* &c.

§. 13. Ex his patet, nondum creditum fuiſſe iſtis temporibus, Epiſcopos ad arma confugere, & vi publica reſiſtere debere, minime vero, licere illis bellum inferre, & integros exercitus ducere. Quæ enim alias cauſa bellum defenſivum juſtum facit, ea ſæpe bellum offenſivum plane injuſtum reddit. Et facilius hinc admittitur defenſio, quam offenſio. Nefas eſt alterum alteri inſidiari; non autem nefas eſt contra inſidiantem ſe defendere. Defenſio autem omnis inter Clericos hactenus in ſolis precibus, & devotiſſimis ad Deum orationibus atque lacrymis conſiſtit, quibus utique plures & inſigniores in exercitu hoſtili editæ fuerunt ſtrages, quam per militares quantaſcunque copias.

§. 14. In hiſtoria tamen Theodoriti *lib. 2. cap. 30.* mentio fit Epiſcopi Jacobi, quod Niſibis civitatis, quæ etiam Antiochia Mygdoniæ olim vocata eſt, Epiſcopus ſimul, atque princeps ſive gubernator civitatis, ac dux, πολιοῦχος καὶ στρατηγός, fuerit. Et refertur illic, quantam is operam poſuerit in defendenda civitate adverſus Perſas. Hoſtes nempe cum fruſtra per aliquot dies Urbem oppugnaſſent, Mygdonium flumen obſtructo alueo, & ripis

ripis utrinque exaggeratis ſubito in muros immiſiſſe, qui aquarum hunc impetum non ſuſtinentes in ſeipſos corruerint, decretamque hinc fuiſſe Urbis expugnationem, ſed in alteram demum diem. Epiſcopum vero Jacobum confirmatis militibus ac civibus cum murum inſtauraviſſe, tum machinis inſtruxiſſe, ut irruentes repellere in proclivi eſſet. Perſas hinc, poſtquam & murum refectum & defenſorum promptitudinem vidiſſent, obſidionem ſolviſſe, præſertim, cum ex imprecatione Jacobi innumerabili crabronum & culicum multitudine affligerentur.

§. 15. Fateor, inſigne hoc ejus ſeculi eſſe exemplum belligerantis aut militantis Epiſcopi, ſiquidem perfunctoria Theodoriti lectione contenti eſſe velimus. Sed enim ſubdubitat Claudius Eſpencæus *lib. 2. digreſſ. cap. 6.* num credere hoc debeat, fuiſſe Jacobum Epiſcopum & belli ducem aut Urbis gubernatorem. *Vix mihi perſvaſero*, inquit, *tam mirificum monachum & presbyterum inter Romanos & Perſas tantæ Urbis fuiſſe dominum temporalem.* Perſvadere nec nobis id poſſumus, præſertim cum contrariam plane ejus temporis Epiſcoporum vitam & diſciplinam ſuperius adducta probent teſtimonia. Reſtat igitur, ut ex ipſis Theodoriti verbis oſtendamus, qualis Jacobus ille fuerit πολιοῦχος καὶ στρατηγός.

§. 16. Verba ita habent ex interpretatione Johannis Chriſtophorſoni: *Poſtridie autem, ubi cum omnibus copiis urbi appropinquabat* (Sapores Rex Perſarum) *expectabatque per disjectas muri partes in eam ingredi, tum murum utrinque de integro ædificatum tum laborem a ſe fruſtra ſuſceptum videt. Nam divinus ille Vir Jacobus ſuæ precationis virtute non ſolum militum aliorumque incolarum confirmavit animos* (h. e. effecit precibus ſuis apud Deum, ut obſeſſi ſumptis animis maſcule expectarent hoſtes irruentes) *verum etiam murum denuo extruxit, & machinis oppoſitis hoſtes irruentes repulit.* Ne autem putet quis Epiſcopum bellicis rebus ſe immiſcuiſſe, & armis operam dediſſe, illico ſubjungit Theodoritus: Καὶ ταῦτα ἔδρα οὐ τῷ τείχει πελάζων, ἀλλ' ἔνδον ἐν τῷ

Θείῳ νεῷ τὸν Θεὸν ἀντιβολῶν. *Et hæc perfecit non accedendo ad mœnia, ſed intus in ſacroſancto templo Deum precibus enixe ſolicitando.*

§. 17. Habemus hic totam ὁπλομαχίαν, qua decertavit Epiſcopus, & propter quam ϛρατηγὸς appellatus fuit. Sapores Rex Perſarum mœnia dejecerat, & jam imminebat Urbi eam expugnaturus. Jacobus Epiſcopus Deum adit, eumque precibus fatigat. Miraculoſe interim reficiuntur muri & reſtituuntur machinæ. Et hoc quidem Jacobo adſcribitur, non quod conſiliis adfuerit, aut ipſe ut Architectus operis adſtiterit, ſed quod precibus & lacrymis apud Deum impetraverit, ut negocium tam feliciter procederet, quodque hoc ex ſolis humanis viribus effici & expediri nunquam potuerit. Non alia igitur fuit ϛρατηγία Jacobi Epiſcopi, quam quæ eodem ſeculo fuit Ambroſii, Chryſoſtomi & aliorum. Et hinc vere πολιοῦχος dici potuit, quod veluti tutelaris fuerit patronus civitatis Niſibis, cujus unius precibus urbs conſervata, & ab hoſtium incurſione protecta fuerit.

CAPUT V.

In ſeculo quinto qui fuerint Clericorum mores, explicatur.

§. 1.

PErvenimus ad tempora Theodoſii, quæ Eccleſiæ ſalutaria & felicia eſſe potuiſſent, niſi ipſa identidem ſibi damnum intuliſſet. Traditam divinitus diſciplinam pax longa hactenus corruperat, & præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam & diſſolutam ſegnitiem prolapſi erant Chriſtiani. Paſtores dehinc depulſa repudiataque pietatis regula, diſſidio & contentione inter ſe exarſerunt: quin etiam nullas alias res præterquam diſcordias, minas, æmulationem, inimicitias & odium inter ſe mutuo adaugere ſtuduerunt, & animis ambitionis æſtu incen-

ſis, tyrannorum more principatum obtinere laborarunt. Euſeb. *lib.* 8. *hiſtor. cap.* 1. Et ex hoc fonte plurima deinceps mala Eccleſiam miſerrime diſtraxerunt, maximisque & irreparabilibus damnis affecerunt.

§. 2. Ineunte mox ſeculo quinto Theophilus Alexandriæ Epiſcopus, homo perverſus, turbulentus, vehemens & quavis occaſione in eorum, qui ſibi adverſi erant, perniciem abutens, ut Dioſcoro & ejus fratribus, quibus vitam ſuam minime probari animadverterat, ægre facere, reſuſcitata Anthropomorphitarum controverſia, inter monachos convicinos implacabile diſſidium excitavit. Ipſe cum conſilium ſuum ſibi ſuccedere vidiſſet, magna multitudine, militibus etiam conſequentibus, montem Nitriæ, ubi plurima erant monaſteria, occupat, & monachorum catervas adverſus Dioſcorum & fratres ejus armis inſtruit, igneque injecto monaſterium eorum incendit, & prorſus vaſtat. Atque illi in ſummum diſcrimen conjecti vix tandem nudi ex puteis, quo ſe abdiderant, evadentes capitis periculum effugerunt. Nicephor. *lib.* 13. *hiſt. Eccleſ. cap.* 10.

§. 3. En vero Chriſtianos nunc ipſos inter ſe, & Epiſcopum quidem, imo patriarcham in loco maxime illuſtri perſecutione in Eccleſiam ſævientes. Non arbitror autem, exemplum ſumi poſſe aut debere ab eo, qui Anthropomorphitarum ſectæ addictus odium, quod adverſus Origenem, Dioſcorum & alios orthodoxæ ſententiæ propugnatores conceperat, in bellicos tumultus convertit. Totam ejus vitam multis vitiis inquinatam referunt rerum Eccleſiaſticarum Scriptores. Et quid ergo ab ingenio ferociente expectari amplius potuit, quam tumultuum & ſeditionum concitatio? quas qui probare & ſibi in exemplum proponere velit, nec civis bonus erit, nec bonus Chriſtianus.

§. 4. Theophilo huic in Eccleſia Alexandrina ſucceſſit Cyrillus, cujus ingenium vel ex eo ſolo æſtimari poterit, quod, ut Nicephorus ſcribit *lib.* 14. *cap.* 14. ad Epiſcopatum majore fa-

ſtu, quam deceſſores ejus Epiſcopi & profanorum magiſtratuum more, progreſſus ſit, & quod ab eo tempore Epiſcopus Alexandrinus præter ſacri cleri dominatum rerum præterea ſecularium principatum acquiſiverit. Socrat. *lib. 7. cap. 7.* Supra *cap. anteced.* adduximus verba Athanaſii Epiſcopi itidem Alexandrini, quibus reprehenderat faſtum Gregorii Cappadocis ſibi ſuffecti, quod non aliter Epiſcopatum adierit, quam, ſi ſecularis magiſtratus ei demandatus fuiſſet. Nihil hoc attendens Cyrillus adhuc plus ſibi ſumit, *τὴν ἀρχὴν* ſcil. *τῶν πραγμάτων*, principatum rerum ſecularium, renitente licet præfecto, & ſummo ejus Urbis magiſtratu. Apud Suidam, Theologi veteris ſententia reperitur: *πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν συγκλώθειν ἐστί τὰ ἀσυγκλωστα.* i. e. civilem virtutem epiſcopali functioni applicare velle, ea conjungere eſt, quæ inter ſe maxime natura diſſident, & connecti nequeunt. At Cyrillus putauit, conjungi ea poſſe, atque ſic Oreſti præfecto non unam excitavit moleſtiam.

§. 5. Inſurrexerant in Urbe Alexandria Judæi adverſus Chriſtianos, factoque tumultu, quos obvios habuerant, trucidaverant. Ea de re grauiter commotus Cyrillus cum ingenti manu ad Judæorum ſynagogas recta pergit, & ex Judæis nonnullos occidit, alios expellit e civitate, eorumque fortunas a multitudine diripi permittit. Oreſtes illius Urbis præfectus ipſe etiam Chriſtianus, factum hoc Cyrilli valde iniquo animo tulit, magnumque cepit dolorem, tam præclaram civitatem tanta hominum multitudine, quorum majores inde ab Alexandri Macedonis temporibus illam Urbem incoluerant, prorſus nunc orbatam eſſe. Socrat. *lib. 7. hiſt. cap. 13.* Atque ex hoc capitales inter eum & Epiſcopum exortæ ſunt inimicitiæ, quæ nulla ratione deinceps componi potuerunt, novis præſertim quotidie accedentibus fomentis.

§. 6. Dixi ſupra de Monachis a Theophilo ad arma vocatis; qui iidem nunc pro Cyrillo dimicaturi, ad quingentos numero ex monaſteriis egreſſi, urbem Alexandriam contenderunt, præ-

præfectum rheda circumvectum contumeliis exceperunt, & unus eorum, Ammonius nomine, caput præfecti lapide percuſſit, tanta quidem violentia, ut ille totus ſanguine maderet. Hoc Ammonii factum non improbavit Cyrillus, ſed eum a præfecto quæſtionibus ſubjectum, & inter tormenta mortuum non in Eccleſia tantum recondi fecit, ſed & laudata animi ejus magnitudine martyrem appellari juſſit. Accedebat Hypatiæ fœminæ in philoſophia exercitatiſſimæ cædes, quæ a Cyrilli ſectatoribus procurata, ipſi Cyrillo imputabatur. Vid. Socrates *l. 7. cap. 14. 15.* Niceph. *lib. 14. cap. 15. 16.*

§. 7. Fuit enimvero Cyrillus hic, judicio Sixti Senenſis *bibl. lib. 4.* acumine ingenii, ſubtilitate iudicii, eruditionis varietate, docendi facilitate, copiaque diſſerendi celebris, ut merito ab Anaſtaſio σφραγὶς τῶν πατέρων i. e. ſignaculum quaſi patrum puriorum vocetur; Neque ſane exigua ipſi adhuc in Eccleſia remanſit laus, propter egregie navatam operam, in defendenda orthodoxa, & refutanda Neſtorii hæreſi. Sed in his tribus tamen maxime offendit, primum quod rebus ſecularibus ſe immiſcuerit, deinde, quod hominem ſeditioſum inter martyres numeraverit, & tandem quod non evitaverit neque declinaverit argumenta, propter quæ Hypatiæ cædes imputari ei poterat.

§. 8. De primo ſic ait Nicephorus *d. l. c. 14.* Præfectum Oreſtem potentiam Epiſcoporum, & inprimis hujus Cyrilli, præter rationem uſurpatam odio habuiſſe, quod illi multa ex publicis negociis, quæ ad jurisdictionem ejus pertinebant, ad ſe pertrahere voluerint. Neque hoc vitio vertendam fuit Oreſti, cum utique melior perpetuo ſit cauſa ejus, qui pro retinenda poſſeſſione laborat, quam qui alteri eam auferre & ſibi ſumere conatur, præſertim non debitam neque convenientem. Nec profecto excuſari ullo modo poterit Cyrillus, quod Judæis infenſior, præſentia ſua adverſus eos populum tumultuantem confirmaverit, imo autor fuerit, ut trucidarentur illi & ejice-

rentur. Quod profecto ſeditioſi & turbulenti animi fuit argumentum.

§. 9. De ſecundo hoc refert Nicephorus *d. l. c. 15.* & Socrates *l. 7. c. 14.* Cyrillum quidem juſſiſſe Ammonium martyrem appellari, eumque alio Thaumaſii aut Thamnaſii nomine nuncupaſſe, ſed modeſtiores, etiam ex ipſis Chriſtianis, Cyrilli ſtudium erga Ammonium minime approbaſſe. Nam exploratum habuiſſe, Ammonium non intormentis interiiſſe, ne Chriſtum denegare cogeretur, ſed temeritatis ſuæ pœnas dediſſe, Cyrillum etiam ipſum ſuum hoc facinus ſilentio in oblivionem pedetentim venire paſſum eſſe. Nec vero poterat Ammonius ille ullo modo martyris nomine inſigniri, ſi obſerventur ea, quæ circa veram martyris deſcriptionem notarunt Gisbertus Voëtius *polit. Eccleſ. part. 2. l. 1. tract. 3. cap. 4. & 5.* Richard. Montacutius *de orig. Eccleſ. part. 1. num. 166. ſeq.*

§. 10. De tertio dicit Socrates, facinus iſtud in Hypatia commiſſum, cum Cyrillo, tum Eccleſiæ Alexandrinæ non exiguam labem aſperſiſſe infamiæ. Cur vero Cyrillo? quia credebatur eo autore aut ſaltem non invito perpetratum. Unica enim iſtius cædis cauſa fuit, quod propter nimiam Oreſtis familiaritatem & conſuetudinem crederetur Hypatia Epiſcopo ad amicitiam Oreſtis reconciliandam aditum penitus intercluſiſſe. Ea ſuſpicio, quia ſine dubio ipſum Epiſcopum autorem habebat, debuiſſet occultari, neque in vulgus ſpargi. Eccleſia Alexandrina autem ideo infamabatur, quia, ut ait Socrates, *qui religionem Chriſtianam profitentur, a cæde, pugnis, & id genus aliis, omnino alieni eſſe debent.* Hanc ſententiam apprime notandam eſſe judico, cum exinde firmiſſimum ducere liceat argumentum, minus in Clerico probandum eſſe, quod omnibus probro eſt. Et hæc de Cyrillo.

§. 11. Refert Theodoretus *lib. 5. cap. 37.* adhuc aliud exemplum de Epiſcopo Eunomio, qui circa eadem tempora Theodoſiam civitatem adverſus Perſarum impetus defenderit.

Eam,

Eam, inquit, *cum oppugnaret Gororanes admotis innumerabilibus machinis, arieteque adacto & extructis turribus, reſtitit ille ſolus divus Pontifex, Eunomius nomine, & machinarum appulſarum retudit impetum: jamque noſtris ducibus prælio ſeſe non committere, neque ſubvenire oppugnatis audentibus, ille ſe hoſtibus opponens incolumem Urbem conſervavit.* Ipſa verborum conſtructio ſatis oſtendit, miraculoſam aliquam & plane ſingularem atque extraordinariam hic referri defenſionem. Neque dubitare nos ſinit Nicephorus *lib. 14. cap. 4.* cujus hæc ſunt verba: *Cum namque noſtri propter oppugnatorum multitudinem animos deſperatione deſponderent, precibus ipſe contra illos pugnans, urbem ſalvam confirmavit* &c. Fuit ergo hic pugnandi modus vere Epiſcopalis, hoc eſt, talis, qualem a Jacobo Niſibis civitatis Epiſcopo exercitum fuiſſe, dixi *cap. anteced.*

§. 12. Simile eſt, quod de Germano Altiſiodorenſi ejusdem temporis Epiſcopo referunt laudum ejus buccinator, Conſtantius, presbyter Lugdunenſis *lib. I. cap. 28.* & Paulus Diaconus *lib. 15.* Nempe miſſus erat ille in Britanniam, ut hæreſin Pelagianam deſtrueret. Interea vero Saxones Pictique bellum adverſus Britones junctis viribus ſuſceperant, & Britones in anguſtiis conſtituti Germanum in caſtra vocaverant. *Ibi tum Germanus ducem ſe prælii profitetur*, (ſunt verba Conſtantii) *eligit expeditos, circumjecta percurrit: & e regione, qua hoſtium ſperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur; quo in loco novum componit exercitum, ipſe dux agminis. Et jam aderat ferox hoſtium multitudo, quam appropinquare intuebantur in inſidiis conſtituti. Cum ſubito Germanus ſignifer univerſos admonet, & prædicit, ut voci ſuæ uno clamore reſpondeant. Securisque hoſtibus, qui ſe inſperatos adeſſe confiderent, Alleluja tertio repetitum, Sacerdotes exclamant. Sequitur una vox omnium; & elevatum clamorem, repercuſſo aëre, montium incluſa multiplicant. Hoſtile agmen terrore proſternitur, & ruiſſe ſuper ſe non ſolum rupes circumdatas, verum etiam ipſam cœli machinam contre-*

tremiſcunt : trepidationique injectæ vix ſufficere pedum pernicitas credebatur. Paſſim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini. --- --- Triumphant Pontifices, hoſtibus fuſis ſine ſangvine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus &c. Eadem totidem verbis refert Beda *hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 20.*

§. 13. His armis, fide ſcil. & precibus, eo tempore Epiſcopi non minus glorioſas, quam incruentas victorias ab hoſtibus Eccleſiæ reportarunt. Ut maxime enim ducem ſe præbuerit Germanus & ante ſigna conſtiterit, non tubæ tamen clangoribus, non gladiis fidens, ut loquitur Paulus Diaconus *d. l.* imperavit ſolummodo, ut omnes voce conſona eundem reſponderent ſermonem. Sermonis iſtius argumentum alleluja & Dei laudes erant, qua voce modulos & cantica ſua ornabant veteres Chriſtiani. Vid. Jac. Sirmond. *ad Sidon. l. 2. epiſtol. 10.* Matth. Rader. *in aul. ſanct.. Theodoſ. obſervat. ad cap. 14.* Et hinc victoria illa obtenta Allelujatica dici conſvevit. Jac. Uſſerius Archiepiſc. Armachan. *de Britannic. Eccleſ. antiq. cap. 11.* Nec profecto ex Italia diſceſſiſſet Attila, qui circa hæc tempora eam infeſtaverat, niſi his armis ab Leone I. Pontifice debellatus & victus fuiſſet.

§. 14. Hoc eodem ſeculo vixit Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, de quo, cum Epiſcopos ordinaret invitis atque contradicentibus ἐπισκοπȣμένοις, & illi manu militari cathedras occuparent, graviter apud Valentinianum III. Imperatorem conqueſtus eſt Leo Epiſcopus Romanus. Imperator mox conſtitutionem edidit, quæ hodie *ſub tit. 24.* legitur inter Novellas Codici Theodoſiano adjunctas, & illam Epiſcoporum temeritatem ſanctione repreſſit, ipſiusque Hilarii factum haud leviter perſtrinxit. *Hilarius*, inquit, *qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ Urbis inconſulto Pontifice indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate uſurpans invaſit. Nam alios incompetenter removet, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus*

bus ordinavit. Qui quidem, quoniam non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerebat, & ad ſedem quietis, pacem prædicaturus per bella ducebat. Habemus ergo hic Epiſcopum ordinationes ſuas armis exequentem, & integras civitates bellico apparatu cogentem. Sed audiamus, quid de eo ſentiat Valentinianus: *Noſtram quoque*, inquit, *præceptionem hæc ratio provocavit, nec ulterius vel Hilario, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere liceat. Auſibus enim talibus fides & reverentia noſtri violatur imperii. Nec hoc ſolum, quod eſt maximi criminis, ſubmovemus: verum ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus* &c.

§. 15. Maximum crimen dicit Imperator commiſſum fuiſſe ab Hilario, idque ſi proprio nomine inſignire debet, in crimen læſæ majeſtatis incidet. Majeſtatis enim crimen illud eſt, quod adverſus populum Romanum vel adverſus ſecuritatem ejus committitur, *quo tenetur is, cujus opera dolo malo conſilium initum eſt, quo armati homines cum telis, lapidibusve in Urbe ſint, conveniantve adverſus Rempubl. locave occupentur vel templa, quive milites ſollicitaverit, conciliaveritve, quo ſeditio, tumultusve adverſus remp. fiat: qui injuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit. l. 1. & 3. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Maximum enimvero Reipublicæ turbandæ momentum in bello conſiſtit, & hinc merito perduellis cenſetur, qui injuſſu principis tale attentaverit. Nec temere ergo dixit Valentinianus, his Epiſcoporum auſibus fidem & reverentiam imperii ſui violari.

§. 16. Oſtendit vero etiam publica ejus ſeculi diſciplina, quæ ex Conciliorum decretis petenda eſt, probari non potuiſſe, ſi quis Epiſcopus aut clericus miles eſſe voluerit. Celeberrimum anno CCCCL. habitum eſt Concilium Chalcedonenſe præſentibus

 tibus

tibus 630. patribus, a quibus in rem præſentem compoſitus eſt canon ſeptimus, a Gratiano deinceps Decreto inſertus *c. eos. 20. q. 3.* his verbis: *Eos, qui ſemel in clero taxati* (aut cooptati) *fuerint, ſive in monaſterio deputati: decrevimus, neque ad militiam, neque ad honores ſeculares venire,* μή τε ἐπὶ ϛρατείαν, μή τε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι. *Eos autem, qui hoc auſi fuerint facere, & non ejus rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem revertantur, quod ante obtentu Dei ſibi propoſuerunt, convenit anathematizari.*

§. 17. Non dubito, tumultus monachorum propter Theophilum & Cyrillum Epiſcopos Alexandriæ excitatos huic canoni cauſam dediſſe. Et quanquam vocabulum ϛρατείας generaliter alias quamcunque poteſtatem vel dignitatem civilem, etſi ea bellica non ſit, denotet, uti ſupra *cap. 1.* expoſui, puto tamen, in hoc canone ſtricte id accipiendum & de armata militia explicandum eſſe. Neque enim diſtingui alias debuiſſent, uti diſtinguuntur, ϛρατεία & ἀξία κοσμική. Quicquid tamen hujus ſit, clarum inde evadit, clericos & monachos ad nulla omnino officia civilia, qualiacunque ea fuerint, ita ut etiam militaria ſub iis comprehendantur, adſpirare debere.

§. 18. Ejusdem tenoris eſt canon quintus in Concilio Turonico primo conſcriptus, qui ita ſe habet: *Si quis vero clericus, relicto officii ſui ordine, Laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.* Concilium iſtud habitum eſt Jacobi Sirmondi judicio anno Chriſti CCCCLXI. Et quanquam particulare id fuerit, atque vix decem Epiſcopi ejus decretis ſubſcripſerint, diſciplinam tamen ejus temporis, quatenus inter Galliæ clericos eſſe debuerit, luculenter exponit. Utrique vero grauiter peccatum eſſe oportet, quod excommunicatione punitur. Et ex hac ſcilicet ſumma & extrema petita olim fuit medicina, qua collapſa diſciplina reſtitui poſſet.

CAPVT

CAPUT VI.

Ex ſeculi ſexti hiſtoria pauca aliqua ad hoc negocium facientia notantur.

§. 1.

INitio hujus ſeculi propter Concilium Chalcedonenſe, quod quinquaginta abhinc annis decreta ſua promulgaverat, quodque adhuc multi hoc tempore recipere recuſabant, maximi fuerunt in Oriente paſſim excitati tumultus, quos ipſi haud raro Imperatores, & miniſtri eorum, dum ex Acephalorum & hæſitantium numero, aliqui etiam Manichæorum ſectæ addicti erant, fovebant aut promovebant. Refert de Monachis Syriacis Evagrius *lib. 3. hiſt. c. 32.* frequentes eos cum tumultu & ſumma confuſione Antiochiam præcipites involaſſe, & Flavianum Epiſcopum cogere voluiſſe, ut Concilio Chalcedonenſi anathema diceret, Flaviano autem recuſante, & Monachis importune inſtantibus, populum civitatis, ſeditione conflata tam magnam cædem feciſſe monachorum, ut multi eorum atque adeo fere innumerabiles Orontem fluvium, corporibus fluctibus conditis, pro ſepulchro haberent. Veniſſe deinceps monachos alios, ut propugnarent Flavianum, ſed uti ex verbis Evagrii colligitur, ſero nimis & poſt depugnatam pugnam.

§. 2. Sacrum hoc vere dici potuiſſet bellum, ſi ab Monachis utrinque geſtum fuiſſet. Cumque hinc conſtet, ſatis idoneos eo tempore fuiſſe monachos ſeditionibus excitandis, id animum ſubit mirari, quod Reges & Principes ſibi ſufficienter cautum putaverint, ſicubi agnatos ſuos, quos formidabiles eſſe aut fieri poſſe perſvaſum habuerant, in monachorum numerum coegiſſent. Tale exemplum refertur a Gregorio Turonenſi *lib. 3. c. 18.* & Aimoino *lib. 2. c. 12.* de Childeberto & Chlotario, quod cum illi nepotes ſuos ex fratre metuerent, forficem

& gladium matri eorum miſerint, ut aut tonderentur aut occiderentur. Pari modo Chilpericus Rex filium Meroveum ſibi maxime ſuſpectum in monaſterium coëgit, referente eodem Gregorio *lib.* 5. *c.* 3. & 14. Quod profecto inter Orientales monachos remedium minime tutum fuiſſet, uti hujus & ſuperioris ſeculi exempla adducta oſtendunt.

§. 3. Apud Britannos celebre hoc tempore fuit Culedreibnenſe prælium, cui Columba magni tum nominis Abbas interfuiſſe dicitur. Rem geſtam ſcriptoris Anonymi verbis recenſet Jacobus Uſſerius *de Britannic. Eccleſ. primord. cap.* 17. hoc modo: *Cumque Rex* (Dermitius a Columba ad iram commotus) *juramentum ſuum opere vellet complere, collecto grandi exercitu in curribus & equitibus & pedeſtribus plusquam* 2300 (error forte aut vitium eſt in numero) *prope fines terræ eorum pervenit, ut eos penitus extirparet. Cumque plebs Conalleorum adventum Regis cum exercitu audiret, collecta multitudine circiter* 3000 *affuerunt, viriliter pro ſua patria pugnare cupientes. Quibus in tanto periculo poſitis, atque in Deo ſolo ſpem habentibus, conſurgens S. Columba diluculo noctis, in ſpiritu virtutis Dei confortando eos ait: Si ego aliquando contra inimicos meos commiſiſſem, nunc in nomine Dei altiſſimi contra eos ſurrexiſſem, & vox ejus ſic terribilis facta eſt in auribus ſuorum commilitonum, ut & omnes de ſomno excitaret, & addidit dicens: Sicut enim Dominus cum Moyſe contra Ægyptios in mari rubro fuit, ſic hodie pro vobis pugnabit in bello. Nihil ergo timeatis, quia nihil paſſuri eſtis. Scitote enim, quod Dominus valde iratus eſt ſuper caſtra ſuperbi hujus Regis: & ſi unus veſtrum tantum contra illos fiducialiter in nomine Domini confligere ſurrexerit, ſolus eos in fugam per Dei virtutem convertet. Conſtantes ergo eſtote, quia nullus veſtrum hodie in acie cadet. Tunc pauci milites hæc verba audientes & tanquam Dei altiſſimi teſtimonium credentes conſtanti animo in hoſtes eadem hora licet improvidos irruerunt. Sancti enim verbum omnem metum ac pavorem mortis de cordibus eorum abſtulit. Tunc*

Ange-

Angelus Domini in forma Viri maximi, veſte militari indutus in caſtris Dermitii terribilis apparuit, inter cujus femora hoſtes cœlum videbant. Qui ſcuto & gladio accinctus paratus ad prælium, paucos milites fiducialiter antecedebat. In hujus viri conſpectu terribilis, corda multitudinis adverſæ partis viribus defecerunt, & facti ſunt omnes quaſi fœminæ imbecilles, & antequam arma in hoſtes converterent, ſemetipſos præ nimio impetu curruum & equitum propriis armis occidebant &c.

§. 4. Ex his vero verbis nunquam conficies, Columbam armatum inceſſiſſe, aut in conflictum veniſſe. Adfuit militibus in prælium & expeditionem ituris, præſens ipſe non pugnavit. Concionatoris partes geſſit, & quæ fidei ſalvificæ eſſet virtus, militibus explicavit, miles ipſe non fuit. Procul eum ſubſtitiſſe a conflictu, verba hæc oſtendunt ſequentia: *Cumque Victores læti poſt trophæum ad Virum Dei rediiſſent*, &c. Redierunt ergo ad locum illum, ubi concionem ſupra memoratam habuit Columba. Sed ipſe etiam Columba factum hoc ſuum, quod cauſa belli extitiſſet, expiari debere credidit. Sic enim pergit Anonymus ille: *Poſt hæc S. Columba ad S. Finnianum Epiſcopum acceſſit, ut ab eo pœnitentiam condignam cauſæ præfati belli acciperet. ---- Ille reſpondit: Oportet, ut quot belli inſtigatione ad infernum dejecti ſunt, tot per exemplum tuum ad cœlum vehantur.* Quæ omnia, etſi maximam partem fabuloſa videantur, hoc ſaltem evincunt, nihil inde peti poſſe, quod ad defendendam Clericorum militiam facere queat.

§. 5. Potiſſimum vero ex hujus ſeculi hiſtoria notandus eſt canon primus Concilii Ilerdenſis, quod anno DXXIV. habitum fuit. Eum his verbis refert Gratianus *diſt. 50. c. 37. De his clericis, qui in obſidionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, ut qui altario miniſtrant, & Chriſti corpus & ſanguinem tradunt vel vaſa ſacro officio deputata contrectant, ob omni humano ſanguine, etiam hoſtili, ſe abſtineant. quod ſi in hoc ceciderint, tam officio quam communione corporis Domini duobus annis priventur,*

ita ut in duobus annis vigiliis & jejuniis & orationibus & eleemoſynis pro viribus, quas Dominus donaverit, expientur, & ita demum officio vel communioni reddantur: ea tamen ratione, ne ulterius ad officia potiora promoveantur. Quod ſi in definito tempore negligentiores circa ſalutem ſuam extiterint, protelandæ ipſius pœnitentiæ tempus in poteſtate maneat Sacerdotis.

§. 6. Provinciale quidem hoc fuit Concilium & paucorum in Hiſpania Epiſcoporum, ſed ex quo tamen diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio diſci haud difficulter poteſt. Prohibet autem univerſam Clericorum militiam armatam, etiam eam, quæ obſidionis tempore & pro defenſione ſuſcipitur, quod hodie ex doctrina Moraliſtarum prohibitum non eſt, Vid. Card. Lugo *in reſponſ. moral. lib. 5. dub. 14.* Antonin. Diana *part. 9. tr. 9. reſolut. 5.* Carol. Anton. Theſaur. *in prax. Eccleſ. part. 2. vocab. bellum cap. 1.* Quod ſi quis in obſidionibus hoſtium aliquem occiderit, negat canon id impune eſſe, aut pro peccato non haberi debere, ſed poenitentiam imponit, eamque haud leuem; ut hinc colligere liceat, nondum eo tempore creditum fuiſſe, quod Clerici in armis aliquod præſidium aut tutamen habere debeant.

CAPVT VII.

De diſciplina ſeculi ſeptimi, & quid Clericis eo tempore licuerit.

§. 1.

IN hoc ſeculo omnis generis mala in humanum genus quaſi exundarunt. Conſtantinopolitana enim Eccleſia imperio temporali ſuffulta ſub finem ſuperioris ſeculi axioma capitis omnium Eccleſiarum ſibi vindicare cœperat. Quibus conatibus cum Gregorius Magnus ex Occidentali Eccleſia ſe opposu-

poſuiſſet, & quidem ita acriter, ut ex faſtu illius collegerit, propinqua jam eſſe AntiChriſti tempora *lib. 6. epiſt. 34.* ipſe interim ſedis Romanæ ὑπεροχὴν ita extulit, ut haud temere credatur hodie Romanam tyrannidem aut cœpiſſe tum, aut ut a ſucceſſore Bonifacio III auſpicaretur, occaſionem eum dediſſe. Ita enim dignitatem hanc Conſtantinopolitano Epiſcopo negavit, ut tamen ſuas ſubinde rationes pro majeſtate ſedis Romanæ inſereret, ſimulans interim ſummam humilitatem. Joh. Henr. Hottinger *p. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 6. ſect. 1.*

§. 2. Poſſidebant jam Epiſcopi, vel ex conceſſione Principum, vel ex donatione piorum fundos, villas, agros, ſylvas & latifundia alia, ex quibus immenſam vim opum ſibi comparare, atque reditibus cum quovis inter ditiores Laicos certare poterant. Data eis inſuper fuerat poteſtas de quibusvis cauſis civilibus inter Laicos judicandi, committebantur illis ardua in Rebuspublicis negocia, neque quicquam facile ſine Epiſcopi aut Clerici alicujus præſentia expediebatur, ſive pietas id ſuaſiſſet, ſive fiducia, quam unusquisque erga viros ſanctitatem & morum innocentiam profitentes gerebat. Illi e contrario, cum reverentiam ſibi ab omnibus præſtari, ſeque rebus quibusque, maximis, minimis, adhiberi & in conſilium vocari cernerent, majora ſibi vindicare non erubuerunt. Et quid mirum igitur, ſicubi ſequentibus temporibus milites etiam ſibi obedientes reddiderint, & quæ ad ſummam rerum bello gerendo facerent, vel conſultaverint, vel diſpoſuerint ipſi.

§. 3. Quocirca nihil miror, Gregorium M. Longobardis Italiam vaſtantibus, tribunum cum militibus ad cuſtodiam Urbis Neapolitanæ miſiſſe, & *lib. 12. epiſt. 24.* ad milites Neapolitanos hæc verba ſcripſiſſe: *Sicut & nunc devotionem veſtram feciſſe didicimus, quæ epiſtolis noſtris, quibus magnificum Virum Conſtantium Tribunum cuſtodiæ civitatis deputavimus præeſſe, paruit & congruam militaris devotionis obedientiam demonſtravit* &c. Et milites, & ipſa civitas Neapolitana Imperatoribus parebant; ſed quia

quia Imperator tum abſens erat, ad ſe pertinere credidit Gregorius, de cuſtodia civitatum curam gerere, ſive id ex mandato & commendatione Imperatoris factum fuit, ſive ex fidelitate, quam ei debuit Gregorius. Sane totum hoc negocium in gratiam Imperatoris ſuſceptum & geſtum fuiſſe ex verbis ſequentibus patet: *Unde ſcriptis vos præſentibus curavimus admonendos, uti prædicto magnifico Viro Tribuno, ſicut & feciſtis, omnem debeatis, pro ſereniſſimorum dominorum utilitate vel conſervanda civitate obedientiam exhibere.*

§. 4. Magis miror, Cardinalem Baronium ad ann. DCIII. *num. 31.* tantam ex hoc Gregorii facto movere potuiſſe de collapſa Pontificis Rom. poteſtate querelam: *Vides*, inquit, *Lector, quanta polleret etiam in politicis adminiſtrandis autoritate Romanus Pontifex, dum civitati non ſuæ, ſed ſubditæ Imperatori, quem vult deligit cuſtodem, præficitque præfectum, cui pareant milites; hæcque ſub Phoca tyranno. O tempora hac ex parte felicia! Utinam modo eſſent ipſi integra ſpiritualia jura, quæ majori indies ignominia tantæ ſedis averſione contentioſa calcantur* &c. Nullam enimvero Pontifex habuit poteſtatem aliam, quam municipium quodcunque aut civitas, abſente principe Domino ſuo, ſibi relicta. Non habet jus belli gerendi civitas Principi ſubjecta; ſed poteſt tamen aliquando ita præſens eſſe periculum, ut tempus non ferat, eum conſuli, qui ſupremum belli gerendi jus habet. Ut ecce, aggreditur hoſtis aliquis externus civitatem, eamque obſidione cingit, idque tam velociter, ut a principe alibi degente nullum poſſit exquiri aut experi mandatum. Hic vero neceſſitas exceptionem ſuppeditabit, & poterit tum magiſtrâtus cives ſuos inconſulto Principe ad defenſionem ſui excitare, & ad arma vocare. Quin imo, quæ ita a civibus ſuſcipitur defenſio, ex præſumpta voluntate principis videtur fieri, quod malit civitatem quibuscunque modis ſalutem ſuam procurare, ut in fide retineatur, quam ab hoſtibus eripi & occupari.

§. 5.

§. 5. Dixi ſupra non conſtare, utrum Gregorius ex mandato aut commendatione Imperatoris Tribunum illum Neapolin miſerit, id tamen probabiliter videri, & ex obedientia à Tribuno præſtita, quod alioquin milites non aliis, quam ſuperioribus ſuis ſibi præfectis parere ſoleant & debeant, haud temere colligi. Ponamus tamen Imperatore inſcio id actum fuiſſe. Utique tum Italiæ imminebat ex Longobardorum irruptione graviſſima tempeſtas, cui avertendæ licitum fuit Papæ de conſervatione reliquiarum, quæ ad Imperium ſpectabant, cogitare, & militibus defenſionem Urbium imperare, id quod etiam cuivis civitati ſeorſim hoc caſu licuit. Major vero & amplior cura ad Pontificem ſpectare credebatur, quippe cujus auctoritas imminuto in Italia imperio Romano, & quaſi amoto rectore, jam ita creverat, ut imperii habenas tenere ſenſim affectaret.

§. 6. Nec profecto tam querulum eſſe conveniebat Baronio, qui ignorare non potuit, ex ruinis Imperii Romani iſtam Pontifici acceſſiſſe & arreptam fuiſſe poteſtatem, antea eam non competiiſſe, neque convenientem viſam fuiſſe. Audiat hac de re Nicolaum Machiavellum ex *lib. 1. hiſt. Florentinæ* his verbis diſſerentem: *Cum ergo Imperator factus eſſet Chriſtianus, & ſe Conſtantinopolin recepiſſet, inde ſecuta eſt inclinatio imperii Romani, & Eccleſiæ Romanæ incrementum. Nihilominus usque ad adventum Longobardorum, (cum Italia tota Imperatoribus aut Regibus eſſet ſubdita) Pontifices ea ſolum autoritate pollebant, quam eis morum & doctrinæ ſanctitas conciliabat. Cæteris in rebus, obſequebantur Imperatoribus aut Regibus, qui aliquoties eos morte affecerunt, & in ſuis negociis civilibus eorum miniſterio uſi ſunt. Præcipue vero Theodoricus Rex ſedem regni Ravennæ locans, autoritati Papæ magnum momentum addidit: quia cum Romæ præſentia Principis eſſet deſtituta, Romani, ut haberent aliquod refugium, Papæ impenſius obſequebantur. Non multum tamen inde crevit ejus autoritas: ſed tantum Eccleſia Romana hanc prærogativam aſſecuta eſt, ut Eccleſiæ Ravennati anteponeretur. At cum Longo-*

bardorum adventu Italia in plures partes eſſet ſciſſa, data eſt occaſio Pontifici vires ſuas augendi Factus enim eſt propemodum princeps Romæ, unde Imperator Conſtantinopolitanus & Longobardi eum tanto honore proſequebantur, ut Romani Papæ interventu cum Longobardis & Longino fœdus percuſſerint, non ut ſubditi, ſed ut ſocii &c.

§. 7. Hoc rerum ſtatu facile potuit Gregorius morigeros ſibi habere milites etiam non ſuos, quorum ſcil. domini & Imperatores tantum ei deferebat honorem. Obſervandum vero inſuper etiam hoc eſt, inter epiſtolas Gregorianas plurimas eſſe ſuppoſititias, uti fatentur Bellarminus *lib. 4. de Pont. Rom. cap. 12.* ipſe Baronius *tom. 8. ad ann. 595. n. 78.* Poſſevin. *in apparat.* atque idcirco requirere eas Lectorem circumſpectum & prudentem, & qui non careat judicio, uti editioni Op. Greg. Baſilienſi præſcripſit Huldricus Coccius. Diligentem in illis navavit operam Thomas Jameſius Bibliothecarius Oxonienſis *in vindiciis Gregorianis*, ubi plurimas Epiſtolas inter Gregorianas partim corruptas & additionibus depravatas partim omnino ſpurias eſſe oſtendit. Conf. Andr. Rivet. *in Critic. ſacr. lib. 4. cap. 29.* Willelmus Wendrock *ad Ludov. Montalt. epiſt. provinc. 6. not. 2. ſect. 3. §. 3.*

§. 8. Utrum hæc talis ſit, de cujus verbis hactenus diſputavimus, non auſim quidem aſſerere, ſuſpectam tamen eam quodammodo reddit, quod ad Sabinianum *lib. 7. epiſt. 1.* idem ſcribit Gregorius: *Si in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec ducem haberet; ſed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido.* Verba hæc Decreto inſeruit Gratianus *c. ſi in morte 23. q. 8.* Quod ſi igitur in mortem Longobardorum nihil omnino decernere voluit Gregorius, extra aut contra intentionem videtur egiſſe, quando Neapolitanis ad cuſtodiam & defenſionem civitatis auxiliares ſubmiſit copias. Niſi dicere velis, noluiſſe eum bello offenſivo ſe immiſcere in mortem Longobardorum, non

non recuſaſſe autem immiſtionem in bello defenſivo. quo utroque tamen mors Longobardorum procurari potuit.

§. 9. Invenitur vero inter epiſtolas Gregorii adhuc alia cujus fragmentum habetur in *c. 2. X. de immunit. Eccleſ.* ex quo ſcilicet communiter concludunt Doctores, tempore neceſſitatis ipſos etiam Clericos non excuſari a cuſtodia civitatis, ſtare & ipſos debere in excubiis. Hæc vero ſi Gregorii ſententia eſt, ſequitur, pro defenſione civitatis etiam armis eos uti, hostesque inſultantes armata manu repellere debere. Ad quid enim prodeſſent excubiæ, niſi illis vim vi repellere liceret? Non ille tantum earum finis eſt, ut de periculo imminente cives clamando admoneant, ſed ut ipſi etiam manu conſerta pugnent, ſi quidem hoſtis irruptionem fecerit, & ad eam neceſſitatem obſeſſos adegerit.

§. 10. Sed enim obſervavit jamdiu Modernus, notante Auguſtino Barboſa *ad d. c.* 2. non loqui textum iſtum de Clericis, ſed de hominibus Eccleſiæ, qui gaudent immunitate Eccleſiarum, neque credibile eſſe, ſummum Pontificem de Clericis conſtituere voluiſſe, cum clericatus reddat eos inhabiles ad pugnandum, etiam contra Saracenos, *c. 9. X. de vot.* Hanc Moderni explicationem etſi ingenioſam & probabilem dicat Barboſa, præfert tamen eam, quæ communis eſt, quod literæ textus magis conformis ſit. Et ſic igitur Modernus non adeo magnam a Barboſa iniit gratiam, quod ſimpliciter immunes ab hoc onere, & prorſus exemptos voluerit Clericos per hunc textum, quodque eum nequicquam obſtare dixerit.

§. 11. Videamus textum & quidem ex matrice ſua, qui talis eſt: *Quia vero comperimus, multos ſe a murorum vigiliis excuſare, ſit fraternitas veſtra ſollicita, ut nullum neque per noſtræ vel Eccleſiæ ſuæ nomen aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, ſed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus melius civitatis valeat cuſtodia procurari.* In his verbis nulla omnino litera inuenitur, quæ ad clericos diſerte pertineat. Agitur de illis, qui ſub Eccleſiæ velamine excuſatos & im-

munes ſe faciunt ab hoc onere perſonali, quo velamine non opus habent Clerici, quorum ipſum munus eos exemptos reddit. Neque ſermo eſt de magna neceſſitate, quæ Clericos cogere poſſit, ſed de neceſſitate aliqua ſimplici, quæ tamen intentos faciat cives, ut cuſtodiæ murorum accuratius & copioſius inſiſtant.

§. 12. Quod ſi inſuper attendatur id, quod eodem hoc ſeculo in Concilio Toletano IV. conſtitutum fuit, vix fidem inveniet, qui Clericos eo tempore arma ſumere licite potuiſſe, contendere velit. Sic enim ſe habet Concilii ejus canon quadrageſimus quartus adductus a Gratiano *c. clerici 23. q. 8. Clerici qui in quacunque factione arma volentes ſumpſerunt, amiſſò ordinis ſui gradu in monaſterio pœnitentiæ tradantur.* Indefinite loquitur canon, ſive ideo arma ſumantur, ut factio augeatur, ſive ut reprimatur, & in genere dejectionem ſive depoſitionem pœnæ loco decernit. Inter Politicos diſputatur, quomodo Vir bonus ſe debeat gerere exortis civilibus diſſenſionibus, quieſcere, an in partes abire? Nec deſunt, qui omnino alterutri parti adhærere eum debere contendunt. Vid. A. Gell. *l. 2. noct. Attic. c. 12.* Lipſ. *lib. 6. civil. doctr. cap. 6. n. 8.* Jacob. Zevecot. *ad Sveton Jul. Cæſ. c. 25.* Sed in Concilio Toletano diſerte & ſimpliciter interdicitur Clericis, ne cuicunque factioni accedant, ſub pœna remotionis, ſi tale quid auſi fuerint.

§. 13. Addimus inſigne exemplum ὁπλομαχίας Sacerdotalis, qualis hoc ſeculo fuerit, ex Bedæ *hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 2.* ut perſpicuum inde fiat, nullum adhuc tum inter Clericos armorum fuiſſe uſum. Sic enim refert Beda: *Poſt hæc ipſe Rex Anglorum fortiſſimus Edilfridus collecto grandi exercitu ad civitatem Legionum maximam gentis perfidæ ſtragem dedit. Cumque bellum acturus videret ſacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, ſeorſim in tutiore loco conſiſtere: ſciſcitabatur, qui eſſent ii, quidve acturi illo conveniſſent. Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bançor, in quo tantus fertur*

fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diviſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivere ſolebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem peracto jejunio triduano cum aliis orandi cauſa convenerant habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum cauſam adventus cum intellexiſſet Rex Edilfridus ait: Ergo ſi adverſum nos ad Deum ſuum clamant, profecto & ipſi, quamvis arma non ferant, contra nos pugnant, qui adverſis nos imprecationibus proſequuntur.

CAPUT VIII.

Creditum adhuc fuiſſe ſeculo octavo, non alia eſſe debere arma Clericorum, quam ſpiritualia, ſecularia illis plane non convenire.

§. I.

PAtet hoc ex epiſtolis Zachariæ Pontificis Romani, quæ hodie leguntur in Tomis Conciliorum. Sic enim ſcribit ad Epiſcopum Moguntinum Bonifacium, cujus Eccleſiam ipſe deinceps metropolitanam fecit, *Epiſt. 1. Sed iſta parvipendentes* (Sacerdotes) *atque Deum ad iracundiam provocantes, majora committunt facinora, dum propriis manibus Chriſtianos atque paganos homines necant. Et fit, ut quibus in remiſſionem peccatorum debuerunt lavacrum regenerationis impendere, atque Chriſti ſacramenta donare, ne in æternum perirent, eorundem ſacrilegis manibus ipſi extinguantur. Quis enim ſapiens habens cor eos æſtimet Sacerdotes, qui neque a fornicationis abſtinent, neque ab effuſione ſanguinum manus ſervant innoxias? Quisve eorum ſacrificiis Deum credit eſſe placatum, dicente Propheta: Virum ſangui-*

guinum & doloſum abominabitur Dominus. Iſti namque ne ſacerdotio fungi patiantur, neque divina contingere myſteria, commonemus. Ecce, indignos hic vocat miniſtros, qui bella gerunt, & armis tractandis manus ſuas adſuefaciunt.

§. 2. Idem *in epiſt. 3:* quam ſcripſit ad omnes fideles, per Gallias & Francorum provincias: *Habuiſtis enim peccatis facientibus nunc usque falſos & erroneos Sacerdotes. Unde & cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria datur, ubi Sacerdotes una hora Dominica pertentant myſteria & Chriſtianis dominicum porrigunt corpus pro ſuarum animarum redemtione, & propter Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegisque manibus necant* &c. Diſerte dicit, pugnare Sacerdotibus licitum non eſſe, neque compatibilia eſſe, ſacra facere, & ſtrages facere, neque hinc ullam ſperare poſſe victoriam, ubi talia confunduntur.

§. 3. Hæc militum & Sacerdotum ſive Clericorum officia idem Zacharias Papa accuratius diſtingvit *epiſt. 7.* quæ eſt ad Pipinum Regem & Epiſcopos Francorum : *Principes*, inquit, *& ſeculares homines atque bellatores convenit curam habere & ſolicitudinem contra inimicorum aſtutiam & provinciæ defenſionem. Præſulibus vero, Sacerdotibus atque Dei ſervis pertinet ſalutaribus conſiliis atque orationibus vacare, ut vobis orantibus & illis bellantibus Deo præſtante, provincia ſalva perſiſtat* &c. In antecedentibus verbis laudat Sacerdotes, quod orando ſint populo adjutores, & bonis actibus inhærendo, declinantes a curis & negociis ſecularibus.

§. 4. Potuiſſet Pontifex ad arma vocare Clericos, inque ſui auxilium, quippe qui oppreſſus tum fuerat a Longobardis, juſtum ex eis conſcribere exercitum; verum ordinem iſtud ſuum minime decere ratus ad id potius adigere eos & commonefacere voluit, in quo officii ratio & neceſſitas conſiſteret. Et

quod

quod verbo ſic docuit, facto deinceps ſuo & exemplo comprobavit. Refert enim de eo Anaſtaſius Bibliothecarius, quod civitates aliquot a Luitprando Longobardorum Rege non aliis armis, quam ſacerdotalibus, h. e. precibus & amicis colloquiis, humilique converſatione recuperaverit. Atque hoc Pontificis conſilium non inſubide laudat Cardinalis Baronius *ad ann. 742. n. 36.* ut pro miraculo habeat, quod poſt tot turbas, tot deprædationes & cædes, inermis Chriſti Vicarius armatos conveniens hoſtes, eosdem divina potentia ſuperarit, & ad reddenda ablata compulerit, & ad captivos dimittendos liberos adegerit.

§. 5. Non putarunt tamen ea ætate clerici, illicitum ſibi eſſe Reges & Principes ad bella gerenda excitare, ſibique ex armis eorum defenſionem petere, prout ex ipſorum Pontificum Romanorum praxi patet. *Hortatu & precibus Hadriani Romanæ Urbis Epiſcopi* (verba ſunt Albini Alcuini, Bedæ diſcipuli, ejusdem hujus ſeculi octavi ſcriptoris allegata Gratiano *c. hortatu 23. q. 8.*) *exoratus Carolus Rex bellum contra Longobardos ſuſcepit, quod prius quidem & a Patre ejus Pipino, papa ſupplicante cum magna difficultate ſuſceptum eſt.* Non diſputabo jam, quo jure, quave injuria Pontifices hoc & ſequente ſeculo, Caeſarum Imperium in Urbem Romam & reliquas Italici regni reliquias excuſſerint, ſed unice id, quod nunc ſufficit, obſervo, creditum fuiſſe hoc ſeculo, licere tum Pontificibus Romanis, tum Epiſcopis & Clericis reliquis in Principum armis præſidium quærere, & ad fortiter gerendum negocium eos exhortari.

§. 6. Notavit hoc Gratianus ſub *c. quicunque 23. q. 8. Sacerdotes*, inquit, *propria manu arma arripere non debent, ſed alios ad arripiendum ad oppreſſorum defenſionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem eis licet hortari.* Inque hanc rem adducit præter alia Alcuini modo relata verba. Sed neque hoc quidem placet Marco Antonio de Dominis, qui *lib. 6. de Rep. Eccleſ. cap. 8. n. 32.* vana hæc eſſe ait diverticula. *Quomodo*

do

do vero, inquit, *erit exemplum patientiæ, ſi ipſe meum hoſtem non feriam, eum tamen a famulo meo feriri jubeam. Et quomodo hæc contraponuntur, ut Sacerdos manu propria non feriat, ſed aliena, & gladio ſolo ſpirituali verbi utatur ?*

§. 7. Ego vero malo ſentire cum Gratiano, cum abſurdum non ſit, ut quis leges præſcribat negocio, quod ipſe ex ſe expedire non poteſt. Dedecet Clericos, perorare cauſas in foro, nec tamen prohibentur Advocatos admonere, ut oppreſſis ſubveniant, eorumque aut etiam ſuas ipſorum cauſas agant. Johannes Baptiſta alienam plane a militia gerebat profeſſionem, & militiam tamen ipſe non damnabat, neque milites abire militia jubebat, ſed has eis vivendi regulas præſcribebat, ne quenquam concuterent, neve dolo opprimerent, & ut ſtipendiis ſuis contenti eſſent. *Luc. III*, 14. Interrogaverant milites, quid ſibi faciendum eſſet, ut iram Dei effugerent. Non ait Johannes, militiæ eos renunciare debere, quod dicere debuiſſet, ſi quidem nihil omnino circa militiam Clericis liceret; cum & ille probare videatur, qui non prohibet, quod prohibere poteſt; ſed ad officium eos revocat, & qua ratione DEO placere in armis queant, oſtendit.

§. 8. Non male ergo Gratianus, poſtquam inter alia ad exemplum Gregorii cives Tuſciæ adverſus Longobardos excitantis provocaſſet, ſub *cap. 18. eod.* in hæc definit verba : *Hoc exemplo & præmiſſis autoritatibus claret, quod Sacerdotes, etſi propria manu arma arripere non debeant, tamen vel his, quibus hujusmodi officia commiſſa ſunt perſvadere, vel quibuslibet ut ea arripiant ſua autoritate valeant imperare.* De imperio tamen quod ait, ex officio Epiſcopi, qua talis, non eſt, cum nec Eccleſiæ ex prima inſtitutione vis ἀναγκαστική competat, ſed ſi quod hodie in Eccleſia invenitur imperium, id totum aliunde eſt, & ex poteſtate ſeculari, quod alibi plenius expoſui.

§. 9. Quando vero ſub *c. 28. eod.* pergit Gratianus: *Licet ergo prælatis Eccleſiæ exemplo beati Gregorii ab Imperatoribus vel qui-*

quibuslibet ducibus defenſionem fidelibus poſtulare: licet etiam cum beato Leone quoslibet ad ſui defenſionem contra adverſarios ſanctæ fidei viriliter adhortari, atque ad vim infidelium procul arcendam quosque excitare, effuſionem vero ſangvinis nulli Epiſcoporum ſua vel Imperatorum autoritate imperare licet. minime inter ſe cohærere iſta mihi videntur verba, licet eum plerique omnes hodie ſequantur Canoniſtæ. Vid. Bengeus, & Pinſſonius *de vit. & honeſt. Cler. §. 6. caſ. 3. num. 9. 10. 11.* Contra adverſarios viriliter adhortari milites, quomodo poterit ille, cui non licet imperare effuſionem ſangvinis? Deſtruunt ſe invicem, viriliter adhortari milites & tamen non imperare velle effuſionem ſangvinis, cum ſine ſangvine nec defenſio fieri, nec victoria parari queat.

§. 10. Sententia tamen Gratiani forte hæc eſt, non licere Epiſcopis directo & principaliter imperare effuſionem ſanguinis, ſed per conſequentiam tantum, & quaſi implicite, quatenus ſcil. defenſio ſine ſangvinis effuſione inſtitui non poteſt. In quo quidem nos facile habebit conſentientes, cum nec militi quidem in acie ſtanti principaliter intenta eſſe debeat effuſio ſangvinis. Optime Auguſtinus *ad Bonif. epiſt. 1. Hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas. Sicut bellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.*

CAPUT IX.

Seculi noni hiſtoria examinatur, & quæ ad rem præſentem faciunt, colliguntur.

§. 1.

PErvenimus ad tempora Carolina, quibus in immenſum aucta eſt poteſtas Epiſcoporum. Carolus Magnus enim

liberali manu opima Eccleſiis dedit bona, non tam pietatis ſtudio, quam ex arcano quodam politico ob utilitatem Reip. exiſtimans nimirum Epiſcopos ſanctius obſervaturos fidem promiſſam, ac præterea, ſi res ita poſtularet, excommunicationum fulmine maximas adverſus rebelles additturos vires, tum & ope feudorum datorum auxilia miſſuros. *Carolus Magnus*, inquit Gulielmus Malmesburienſis, *pro contundenta gentium illarum* (id eſt, Germanorum) *ferocia, omnes pene terras Eccleſiis contulerat; conſilioſiſſime perpendens, nolle ſacri ordinis homines tam facile, quam Laicos fidelitatem domini rejicere. Præterea ſi Laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeveritate compeſcere.*

§. 2. Hanc Regis Caroli liberalitatem imitati ſunt ejus ſucceſſores, tum & alii in illuſtri loco & dignitate atque fortuna conſtituti. Sed, quod ex Petro Damiani obſervat Petrus de Marca *de concord. ſacerdot. & Imp. lib. 8. cap 19. num. 2.* tum præcipue ea liberalitas viguit, quando Epiſcopi in eorum gratiam, qui liberales erant erga Eccleſias de rigore antiquæ pœnitentiæ remittebant, pro modo liberalitatis. Quæ res cum diſciplinæ Eccleſiaſticæ valde eſſet adverſa, inſuper etiam hoc operata eſt, ut jura majeſtatis politicæ in tantum imminuerentur, quantum invaleſceret inde monarchia Eccleſiaſtica.

§. 3. *Conſilium Caroli Magni*, inquit Marcus Antonius de Dominis *lib. 6. de Rep. Eccleſ. cap. 8. num. 11. a quo maximam partem dominiorum habent Eccleſiæ, non tam fuit divinum & ex pura pietate prodiens, quam humanum ex humanæ prudentiæ dictamine proficiſcens. --- Ideoque & tandem res male ceſſit ipſis conceſſoribus. -- Qui tot Ducatus ac pene regna, tot provincias, tot civitates & caſtella Epiſcopis, præſertim Romano, donarunt, quo ſibi imperium eſſet tutius, non modo hæc ipſa latifundia ac dominia prorſus amiſerunt, ſed inſuper hos ſuos beneficiarios tot hoſtes in caput ipſorum conſpirantes ſunt experti, quorum ab ipſis Imperatoribus adeo evectorum viribus*

&

& artibus ipſum Imperium tandem non modo conquaſſatum eſt, ſed pene abolitum.

§. 4. Tanta poteſtate cum eminere cœpiſſent Epiſcopi, facile potuerunt deinceps extra ſuæ vocationis circulos evagari, & armis, quæ ſibi parum convenire hactenus crediderunt, adſuefieri. Sed ipſo tamen hoc ſeculo nono tam protervis eſſe nondum licuit, quanquam forte fuerint, qui id ſibi dedecori eſſe haud quaquam putaverint, quorum audacia per canones & epiſtolas Pontificum repreſſa illico fuit. Sic enim definitum eſt in Concilio Meldenſi habito anno DCCCXLV. *can. 37.* recenſente Gratiano *c. quicunque 23. q. 8. Quicunque ex clero videntur eſſe, arma militaria non ſumant, nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus & religioſo habitu præbeant. quod ſi contempſerint, tanquam ſacrorum canonum contemptores & Eccleſiaſticæ autoritatis profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur, quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.*

§. 5. Decreta hujus Concilii cum in Sparnaco villa Eccleſiæ Rhemenſis ad relegendum Karolo Ludovici Filio Imperatori oblata fuiſſent, noluit ille univerſa & ſingula recipere, quod ipſe non per omnia cum Epiſcopis ſentiret. Iſtud tamen, quod modo ex Gratiani compilatione adduxi, & recepit, & confirmavit, atque inter capitula ſua *ſub. num. 12.* repoſuit. Et ſic igitur etiam Imperatoria autoritate Clerici arma ſumere prohibentur, qui ſumere olim, quod ſupra dixi, ab Juliano Apoſtata inviti cogebantur.

§. 6. Inter Capitula Karoli & Ludovici Impp. *lib. 6. ſub num 61.* ſimilis habetur conſtitutio: *Si quis Epiſcopus, presbyter aut diaconus vel ſubdiaconus ad bellum proceſſerit & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec Laicam communionem habeat.* Sic enim Clerici propter admiſſum delictum ordine ſuo moti ad ſtatum Laicum redigebantur, ut eſſent quidem & manerent

in Eccleſia, non tamen ſub alio ſchemate quam Laici. atque adeo Eccleſiaſticus Laicæ communioni deputatus gradu ſuo perpetuo excidebat, & ex Clerico fiebat Laicus, ita ut inter Laicos deinde ad communionem admitteretur. Quæ communio diverſa erat a communione Clericorum, non quoad communicata, ſed quoad locum & formam communicandi. Vid. Gabr. Albaſpinæus *l. 1. obſ. 4.* Richard. Montacut. *orig. Eccl. part. 2. n. 129.* Sed nec tali quidem communione digni judicati ſunt Clerici, qui ad bellum proceſſerant.

§. 7. Eodem hoc ſeculo vixit Leo IV. Papa, ex ædificata, quam Romanæ Urbi veteri novam addidit, Urbe Leonina celebris. Is in homilia de cura paſtorali, quæ habetur in Regia Conciliorum editione *tom. 21. pag. 571.* Clericos ſui temporis his alloquitur verbis: *Nullus veſtrum arma ferat in ſeditione, quia arma veſtra ſpiritualia debent eſſe.* De ſeditione quidem loquitur, ſed addita ratione generali, quæ omnem armorum ſecularium uſum quovis tempore & loco Clericis prohibet. Et hæc ratio a primis Eccleſiæ initiis ad hæc usque tempora ſæpe a patribus repetita & inculcata fuit, quam etiam in Meldenſi Concilio adductam modo audiuimus: *quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.*

§. 8. Sed quod in aliis reprehendit Leo, id ſibi non eſſe illicitum putauit, ſi quidem vera ſunt, quæ de eo refert B. Platina *in ejus vita.* Verba ſunt talia: *At vero dum his rebus ut ſanctiſſimum Virum decebat, quam diligentiſſime vacaret, nunciareturque Saracenos cum magna claſſe diripiendæ Urbis cauſa adventare, & Neapolitanos ac cæteros illius oræ maritimæ paulo poſt ipſi Urbi auxilio futuros, ipſe ſtatim cum quanta potuit manu Oſtiam proficiſcitur: eoque omnes auxiliares copias convocat, cum hoſtibus DIMICATURUS, ſi copiam pugnandi feciſſent. Suos autem ſanctiſſimus Pontifex ad communionem primo adhortatus, ubi id obſequentiſſime feciſſent,*

ſent, orationem ad Deum his verbis habuit. -- -- His dictis ſtatim facto ſigno crucis pugnandi copiam fecit, qui ita alacriter pugnam inivere, ac ſi victoriam certam ſibi propoſitam viderent, &c. De hac Leonis expeditione conferri poſſunt, quæ ſcripſit ipſe ad Ludovicum Imperatorem apud Gratianum *c. igitur 23. q. 8.* Utrum Pontifex ipſe in prælium iverit, & armis decertaverit, ex Platinæ verbis dubium eſt; potius tamen eſt, ut ſtatuamus, excitatorem eum fuiſſe, non bellatorem; impulſorem, non militem, uti ab aliis etiam factum memini *cap. anteced.*

§. 9. Diſerte hoc dicitur in vetuſtis Pontificalibus, & quidem, pridie quam conflictum fuerat cum hoſtibus, diſceſſiſſe Pontificem, atque ſic neque ſpectatorem quidem pugnæ fuiſſe. Verba in opere Conciliorum Regio *tom. 21. pag. 537.* ita ſe habent: *Quos* (ſcil. principes Neapolitanorum, Amalphitanorum, & Cajetanorum) *benigne in palatio Lateranenſi ſuſcipiens* (Pontifex) *cauſam pro qua venerant, inquirit. Illi autem ſe ob aliud non veniſſe teſtati ſunt, niſi, ut ſuperius legitur exaratum. Quorum pius Apoſtolicus credulus verbis cum magno exercitu & armorum procinctu mox civitatem Hoſtiam properavit, omnesque cum gaudio ſuſcepit. Illi autem videntes ſummum Pontificem, omnes oſculari cœperunt pedes ejus. Summus autem præſul miſſam in Eccleſia B. Aureæ celebravit, omnibusque corpus dominicum tradidit. --- --- Die vero altera, poſtqvam prædictus reverſus eſt a jam praedicta civitate, ipſi ſceleratorum ſocii ſive participes* (*ſcil. Agareni*) *juxta litus maris Hoſtienſis multis cum navibus apparuerunt. Præfati autem homines ſuper illos facientes impetum omnes ſuperavere orationibus Apoſtolorum & ſancti praeſulis.*

§. 10. Poſt Leonem Nicolaus I. negat, Clerico armorum exercitium & bella convenire, maximeque diſtinctos eſſe ait milites ſeculi, & milites Eccleſiæ. Verba ejus refert Gratianus *c. clericum 6. diſt. 50.* iſtiusmodi: *Clericum, qui pa-*

ganum occiderit, non oportet ad gradum maiorem provehi: qui carere etiam debet acquiſito. homicida enim eſt. Nam cum diſcreti ſint milites ſeculi a militibus Eccleſiæ, non convenit militibus Eccleſiæ militare ſeculo, per quod ad effuſionem ſangvinis neceſſe ſit pervenire. Videbatur excuſari poſſe Clericus, qui aduerſus paganum Eccleſiæ hoſtem juratum armis utitur, eumque in juſto bello & prælio occidit; ſed negat pontifex, excuſatum eum eſſe, cum ei plane non conveniat tale bellum inire, per quod ad effuſionem ſangvinis procedere oporteat.

§. 11. Sub eadem diſtinctione *can. 7.* aliam ejus Nicolai ſententiam refert Gratianus his verbis: *De his clericis pro quibus conſuluiſti, ſcilicet qui ſe defendendo paganum occiderunt, ſi poſtea per pœnitentiam emendati poſſint ad gradum priſtinum redire, aut ad altiorem conſcendere, Scito nos nullam occaſionem dare, nec ullam eis tribuere licentiam quemlibet hominum quolibet modo occidendi. Veruntamen ſi contigerit, ut clericus ſacerdotalis ordinis ſaltem paganum occiderit, multum ſibi conſulit, ſi ab officio ſacerdotali receſſerit, ſatiusque eſt illi in hac vita domino ſub inferiori habitu irreprehenſibiliter famulari, quam alta indebite appetendo damnabiliter in profundum inferni demergi.*

§. 12. Tria hic obſervo: *Primo*, ne quidem per modum defenſionis tum licuiſſe Clerico hoſtem occidere, quo pertinent verba: *nec ullam eis tribuere licentiam quemlibet hominum QVOLIBET MODO occidendi. Secundo*, Clericum, qui taliter hominem occiderit, abſtinere debere ab officio Sacerdotali, idque ſi non fecerit, aut ad altiora adſpiraverit, periculum ſubeſſe, ne id vergat in diſpendium ſalutis æternæ: & ſic non indecens tantum habitum fuiſſe, ſed exitioſum etiam, ſi quis Clericus bellicam ſecutus militiam hominem occiderit. *Tertio*, reſtringi hoc a Pontifice Nicolao ad Clericos ordinis Sacerdotalis, hoc eſt eos, qui in

ſpecie

ſpecie ἱερατικοὶ dicebantur, ut erant Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi. De illis, qui ὑπηρέται, & Clerici ſpeciali ſignificatu dicebantur, nihil addit. Et probabile eſt, hos tales tam ſevere ab armorum uſu prohibitos non fuiſſe.

§. 13. Extat adhuc alia ejusdem Nicolai ſententia, relata itidem a Gratiano *c. reprehenſibile 23. q. 8.* Cum enim Synodum indixiſſet Nicolaus, & Epiſcopi nonnulli a Carolo Rege excuſarentur, quod inſignem adverſus piratas cum exercitu præſtarent operam, indigne id tulit Nicolaus, & ad Carolum his verbis ſcripſit: *Reprehenſibile valde conſtat eſſe, quod ſubintuliſti, dicendo, majorem partem omnium Epiſcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, ob idque Epiſcopi impediantur venire, cum militum Chriſti ſit Chriſto ſervire: militum vero ſeculi, ſeculo, ſecundum quod ſcriptum eſt: Nemo militans Deo implicat ſe negociis ſecularibus. Quod ſi ſeculi milites ſeculari militiæ ſtudent, quid ad Epiſcopos & milites Chriſti, niſi ut vacent orationibus?*

§. 14. Verba hæc poſtquam attentius legiſſet Gratianus, & vidiſſet, reprehendi ex illis poſſe factum Leonis IV. ſupra adductum, conciliare ea conatus & diſtinctione interpoſita utrique ſuam autoritatem vindicare. *Ecce,* inquit, *quod Nicolaus Papa prohibet Epiſcopos ſeculari militia occupari: nec etiam contra maritimos piratas permittit eos ad pugnam accedere. Quomodo ergo Leo Papa adverſus Saracenos Urbem egreditur, & ut eos procul a litore arceat, populum undique convocat, & ſuorum injurias præſentialiter vindicat, atque cum* Gre*gorio milites ad arma invitat? Sed notandum eſt, quosdam Epiſcopos Levitica tantum portione eſſe contentos: qui, ſicut in Dei ſorte tantum numerantur, ſic ipſum Deum ſolummodo in hereditatem accipiunt, dicentes: Dominus pars hereditatis meæ. His nihil eſt commune cum principibus ſeculi, quia temporalia penitus abjiciunt, ne eorum occaſione legibus Imperatorum obnoxii teneantur. Talibus nulla occaſio relinquitur occupationis ſecu-*

ſecularis militiæ, quia cum de decimis & primitiis vivant, tanquam filii ſummi Regis in omni regno a terrenis exactionibus liberi ſunt, ita, ut dicere valeant, Venit Princeps hujus mundi, & in nobis non habet quidquam. Porro alii ſunt, qui non contenti decimis & primitiis & prædia & villas & caſtella & civitates poſſident, ex quibus Cæſari debent tributa, niſi Imperiali benignitate immunitatem ab hujusmodi promeruerint. Quibus a Domino dicitur: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Quibus idem Apoſtolus: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.

§. 15. Videtur huic diſtinctioni Gratianus ipſe in præſenti materia non multum tribuiſſe; idcirco de bello interrogatus, de tributo reſpondet, de quo nulla hactenus fuit quæſtio. Hoc tamen fortaſſe intendit dicere, Epiſcopis caſtella & civitates habentibus vitio verti non debere, ſi bella ducant, ſi armis feriant, ſi cum hoſtibus pugnent. Ratio eſt, quia propugnari atque defendi civitates & caſtella aliter non poſſunt, quam armis, quæ defenſio ad eum ſpectat, qui civitatis eſt dominus. Et ſic igitur, quod probroſum antea fuit Epiſcopo, quod exitioſum, quodque in diſpendium ſalutis æternæ vergere creditum fuit, licitum deinceps & ſalutiferum factum eſt, poſtquam in caſtella, civitates & provincias dominium acceperunt Epiſcopi. At vero Clericos olim, qui magiſtratum agere affectarunt, depoſitos fuiſſe, ex canone Apoſtolico 83. oſtendi *cap. 1.* addita eadem ratione, qua hic bifidam quaſi Epiſcopi perſonam excuſat Gratianus, Cæſari ſcil. reddi debere, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei.

§. 16. Circa finem hujus ſeculi anno ſcil. DCCCXCV. habitum eſt Concilium Triburienſe provinciale, & in eo *ſub cap. 27.* tale factum eſt decretum: *Semel in clero deputati nec ad militiam, nec ad aliquam veniant dignitatem mundanam, uti in Synodo Chalcedonenſi ſtatutum eſt cap. 7. ne tales*

les

les ſint, ſicut S. Iſidorus dixit eſſe, ſimiles hyppocentauris, qui nec equi nec homines, ſed quaſi bruta animalia libertate ac deſiderio ſuo feruntur. Concilii Chalcedonenſis ſententiam adduxi ſupra *cap. 4.* Iſidori autem comparatio oppido elegans eſt, & hoc oſtendit, exeunte ſeculo nono pro monſtro adhuc habitum fuiſſe clericum, qui dignitatem aſſumpſerit ſecularem.

§. 17. In eodem Concilio actum fuit de Clerico, qui in bello occubuit, quales ei decernendæ eſſent exequiæ. Verba refert Gratianus *c. quicunque* 23. q. 8. hunc in modum: *Quicunque Clericus aut in bello, aut in rixa aut in gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo poſtuletur, ſed in manus incidat judicis, ſepultura tamen non privetur.* Introduxit ſcil. Eccleſia oblationes & orationes pro mortuis, quæ in ſano ſenſu & genuino uſu publicæ erant celebrationes, applicationes & obſignationes promiſſionum divinarum de remiſſione peccatorum, requie & ſalute pie defunctorum, erant inſtitutiones & exhortationes viventium, erant conſolationes, & confirmationes lugentium, & erant declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. Chemnit. *in examine concil. Trid. part. 3. ſub. tit. de purgat. cap. 5.* Tali oratione privari inter pœnas habebatur & cenſuras Eccleſiaſticas, comparaturque in canone allegato Clericus bello occiſus & in gentilium ludis mortuus.

CAPVT X.

Clericorum, qui ſeculo decimo vixerunt, mores recenſentur.

§. 1.

DEcimum ſeculum eiuſmodi fuit, ut eo nullum aut indoctius aut infelicius extiterit, fatente ipſo Bellarmino

l. 4. de Rom. Pontif. c. 12. Cardinalis Baronius ejus hiſtoriam explicaturus hæc præmittit verba: *En incipit annus Redemptoris nongenteſimus, quo & novum inchoatur ſeculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum appellari conſuevit obſcurum, &c.* Mores Epiſcoporum & totius Cleri peſſimi erant, & omni fœditate inquinati, ſedes ipſa Romana corruptiſſima & plane monſtroſa, atque abominanda.

§. 2. Sic enim Baronius §. 8. *Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quam fœdiſſima, cum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi & quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum Amaſii Pſeudopontifices, qui non ſint, niſi ad conſignanda tanta tempora in Catalogo Romanorum Pontificum ſcripti.* Et paulo poſt: *Dormiebat tunc plane alto (ut apparet) ſopore Chriſtus in navi, cum hiſce flantibus validis ventis navis ipſa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui iſta non videre diſſimulans, ſineret ſic fieri, dum non exſurgeret vindex. Et quod deterius videbatur, deerant, qui Dominum ſic dormientem clamoribus excitarent diſcipuli, ſtertentibus omnibus. Qualesnam reris delectos ab hiſce monſtris presbyteros & Diaconos Cardinales fuiſſe putandum: cum nihil tam natura inſitum ſit, quam unumquemque ſibi ſimilem generare. &c.*

§. 3. In tanta ſeculi barbarie & perverſo plane Eccleſiæ ſtatu mirum non eſt, ſi reperti fuerint Epiſcopi & Sacerdotes alii, qui armatam militiam, bellaque contra rationem ordinis ſui ſequerentur *Mirum dictu eſt,* inquit Marcus Antonius Sabellicus *Ennead. 9. lib. 2. quantum per id tempus degeneratum ſit a veterum Pontificum pietate. Illi ſuo ſanguine pontificum decus auxerunt; hi auctum cædibus & rapinis prophanarunt: donariis illi templa ditarunt, hi ſacrilegiis exuerunt:*

runt: hi malis artibus rem bonam ambire, illi oblatam cunctanter & verecunde adire: ut difficile ſit judicare, plus moderationis & innocentiæ in illis fuerit, an in iis, qui poſtea ſecuti ſunt, impudentiæ & temeritatis. &c.

§. 4. Accedebat hoc ſeculo immenſa Epiſcopis ex regimine civili, quod una cum poteſtate Eccleſiaſtica exercebant, autoritas, & ex civili poteſtate armorum uſus. Poſſidebant Epiſcopi non prædia ſolum & villas, ſed oppida etiam, ſplendidas Urbes, arces, munimenta, integros comitatus, Principatus & Ducatus. Sic enim refert Theodoricus de Niem de Ottone primo, quod pene omnibus cathedralibus Eccleſiis in Italia, Gallia & Germania, Burgundia & Lotharingia conſtitutis multas civitates, caſtra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia, jura & jurisdictiones donaverit, & omnibus illis Eccleſiis propria inſignia perpetuo deputaverit. Archi-Epiſcopos quoque & Epiſcopos ducatibus & Comitatibus & baroniis communiverit, quibus nobiles & potentes vaſallos ſubjecerit, ut ſemper eſſent ad reſiſtendum etiam manu forti paganis & hæreticis in opportuno tempore fortiores.

§. 5. Ipſi ſæpe Reguli, Duces, Comites & Barones, quique ex nobiliſſimis potentiſſimisque familiis orti, aut qui in palatio educati & vitæ aulicæ adſveti erant, Eccleſiis gubernandis præficiebantur. Brunonis exemplum hoc ſeculo notiſſimum eſt, qui cum Ottonis Imperatoris frater eſſet, & Epiſcopus Colonienſis, Lotharingiæ Ducatum a fratre accepit, atque ſic unus ipſe & Eccleſiaſticum munus & ſeculare imperium geſſit. Tractum id deinceps facile eſt in exemplum, & ex eo tempore vel principes Epiſcopatibus vel Epiſcopi principatibus inveſtiti fuerunt, ut ſcil. paganis & hæreticis manu armata reſiſtere poſſent, ſi quod ab ipſis immineret periculum.

§. 6. Tales cum eſſent, imo vero cum adhuc non eſ-

ſent, Epiſcopi, ad comitia & conventus publicos admiſſi in commune de rebus Remp. concernentibus conſultarunt, ſuisque ſuffragiis belli & pacis negocia vel promoverunt, vel inſufflarunt. Neque his conſultationibus contenti aliqui, ipſi etiam arma movere, vires iungere, fœdera ferire, præliis intereſſe, manus conſerere & ſanguinem vel hoſtium vel proprium profundere haud fuerunt veriti. Et qui poterant aliter, qui integros populos ſub cura non tantum ſpirituali, ſed etiam regimine & tutela civili ſubditos habebant? Ex quo tamen hoc deinceps malum emerſit in Eccleſia, ut licet titulum Epiſcoporum retinuerint; & hunc veluti fundamentum totius poteſtatis territorialis ſancte coluerint, reliquisque titulis omnibus præmiſerint; munere tamen Epiſcopi, ut olim, non amplius fungerentur, ſed uti principes ſeculares territoriis præeſſent, & regimini politico magis, quam Eccleſiaſtico animum intenderent.

§. 7. Qui Reginonis Prumienſis Chronicon continuavit, *ſub hiſtoria hujus ſeculi decimi* refert, Fridericum Archiepiſcopum Monguntinenſem & Rudhardum Epiſcopum Strasburgenſem cum Giſalberto & Henrico fratre Ottonis Magni adverſus Ottonem conſpiraſſe, copias ſecum duxiſſe, obſidionibus interfuiſſe, & bellicæ adeo rei gnaviter ſtuduiſſe. Fridericum in ſancta religione ſtrenuum fuiſſe & valde laudabilem ait, ſed in hoc reprehenſibilem, quod ſicubi vel unus Regis inimicus emerſerit, ipſe ſe ſtatim ſecundum apposuerit. Nihil hoc miror, ſi verum eſt, quod referunt alii Fridericum hunc ſimul Lotharingiæ Ducem fuiſſe. Et quanquam talis non fuerit, ſola tamen Archiepiſcopatus & dignitatis territorialis, quæ ei competebat, præſtantia animum addere potuit, ut Eccleſiaſtici muneris oblitus ea magis curaret, quæ ſecularis erant poteſtatis.

§. 8. De Ottone II. refert Lambertus Schaffnaburgenſis *anno DCCCCLXXXII.* valde periculoſum eum prælium habu-

habuiſſe cum Saracenis in Calabria, atque in eo prælio occiſum fuiſſe Henricum Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopum cum aliis plurimis Epiſcopis. Hos in militiam iviſſe cum Ottone, prælioque interfuiſſe dubium non eſt, at infelici ſucceſſu, & ſatius fuiſſet, domi unumquemque Eccleſiæ ſuæ incubaſſe, & exemplo priſtinorum Epiſcoporum precibus & lacrymis a Deo victoriam exoraſſe. Has enim vera & genuina Epiſcoporum aliorumque Clericorum omnium arma olim fuiſſe ſupra diximus. Ideo enim & Romulus ſacerdotes immunes eſſe voluit ab officiis militaribus, quod Remp. religione tutius defendi exiſtimaret, quam armis aut gladiis. Ut notat Dionyſ. Halic. *lib. 2. antiq. Rom.*

§. 9. Sed vero bellica hæc, nova plane fuit Eccleſiæ facies, veteribus incognita & fere abominabilis atque monſtroſa. Et ipſimet hujus ſeculi ſcriptores combinationem & conjunctionem eccleſiaſticæ & ſecularis poteſtatis in una perſona, dum noviter factam obſervant, ut excuſari poſſit, ad Eccleſiæ Veteris Teſtamenti inſtituta referunt: *Brunonem*, inquit Wittichindus Monachus Corbejenſis, *Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem*, ac addit excuſationis loco, ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, *cum Samuelem ſanctum & alios plures ſacerdotes pariter legamus & judices.*

§. 10. Sed profecto excuſari ex Judæorum Synagoga nullo modo poteſt hæc novi Teſtamenti Eccleſiæ forma. Arma Eccleſiæ carnalia non ſunt, neque alium gladium a Deo accepit, quam ſpiritualem, verbum ſcil. Dei, & armaturam iſtam, quam deſcribit Paulus Apoſtolus *Eph. VI.* Imo totum Eccleſiæ Chriſtianæ πολίτευμα non eſt in terris, ſed in cœlo. Agit ergo in terris Eccleſia non ut municeps ſed ut inquilina. Inquilinis autem imperium non debetur. Alios plane mores poſtulat officium Regis, alios officium paſtoris, quale in Novo Teſtamento deſcribitur. Nec commode

mode igitur poteſt, nec decore ab uno homine utrumque ſuſtineri. Imo vero, quod Syneſium dixiſſe ſupra retuli, πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ κλώθειν ἐςὶ τὰ ἀσύγκλωςα.

§. 11. Faciunt huc verba Gelaſii Papæ ex libro *vinculo anathematis*, quæ ſua fecit Nicolaus *epiſt. ad Michaelem Imperatorem 8.* relata ex parte Gratiano *c. cum ad verum diſt. 96. Fuerint hæc ante adventum Chriſti, ut quidam (figuraliter adhuc tamen in carnalibus actionibus conſtituti) pariter Reges exiſterent, & pariter Sacerdotes, quod ſanctum Melchiſedech fuiſſe ſacra prodit hiſtoria. -- Sed cum ad verum ventum eſt, eundem Regem atque Pontificem ultra ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex regale faſtigium vindicavit. Quamvis enim membra ipſius, i. e. veri Regis atque Pontificis ſecundum participationem naturæ magnifice utrumque in ſacra generoſitate ſumpſiſſe dicantur, ut ſimul regale genus & ſacerdotale ſubſiſtant; attamen Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quo ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperans ſic actionibus propriis dignitatibusque diſtinctis, officia poteſtatis utriusque diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari; non humana ſuperbia rurſus intercipi, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum Imperialibus diſpoſitionibus uterentur.* Conf. Renat. Choppin. *l. 3. de ſacr. polit. tit. 3. num. 12.* Gvil Barclaj. *de pot. Pap. cap. 2.*

§. 12. Crediderunt Imperatores, beatiorem fore & ſanctiorem ſtatum Eccleſiæ, & ipſos etiam Epiſcopos Eccleſiæ regendæ aptiores futuros, ſicubi poteſtas civilis & Eccleſiaſtica in una Epiſcopi perſona concurrerent. *Hoc ponderans Otto ſecundus,* inquit Cardinalis Nicolaus de Cuſa *de concord. cathol. lib. 3. c. 27. credidit perpetuis temporibus imperio ſubjectis pacem dari poſſe, ſi temporalia dominia tam Romanæ Eccleſiæ, quam aliis adjungerentur cum certi ſervitii obſervatione, tunc enim cultus divinus augmentaretur: & religionem in magnam*

gnam reverentiam exaltandam credidit, quando ſanctiſſimi Epiſcopi magnæ potentiæ aliis principibus intermiſcerentur &c. Sed in utroque contrarium eveniſſe docuit eventus. Laudat Reges Galliæ Stephanus Leodienſis Abbas *in hiſtor. vit. Modoaldi Trevirenſis Epiſcopi,* quod plurimas Eccleſias diverſis regiis ornamentis, tum etiam prædiis & regalibus ſuis, caſtris ſcil. & comitatibus, teloniis, monetis & bannis cum jure ciuitatum conceſſis magnifice extulerint. *Inde eſt,* inquit, *quod nusquam gentium æqualis potentiæ pontifices inveniri queant, vel quod parum a regio comitatu & opulentia differant.* Sed addit mox: *quos certe beatos dicerem, ſi pro hac potentia ſanctius viverent.*

§. 13. Conqueſtus jam olim fuit Socrates, Epiſcopatus quosdam ſuis temporibus extra ſacerdotii fines egreſſos, & ἐπὶ δυναστείαν eſſe delapſos. Conqueſtus eſt apud Iſidorum Peluſiotam Hierax, lenitatis & manſuetudinis dignitatem in tyrannidem tranſiiſſe. Conqueſtus de Epiſcoporum ambitione Nazianzenus, & propterea, ſi non Epiſcopatum certe civitatum jus perpetuum in retinenda Epiſcopali dignitate mutatum voluit. Sed illi omnes experti non fuerunt, quæ ſeculo hoc decimo & ſequentibus inter Epiſcopos invaluerunt, Clericorum στρατηγίας & apparatus bellicos; a quibus illi ſuo tempore tam alieni fuerunt, ut nec cogitari aut concipi tale quid poſſe perſvaſum haberent.

§. 14. Monitus fuerat ab Africanis Patribus Cœleſtinus I. Papa circa annum CCCCXXIII. *Nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Et ab Oecumenico Concilio Epheſino Patriarcha Antiochenus: *ut ne ſanctorum patrum canones prætereantur, neque ſub ſpecie adminiſtrationis rerum ſacrarum potentiæ ſecularis typhus irrepat, ſenſimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam nobis proprio ſangvine Dominus noſter*

noſter Jeſus Chriſtus, omnium hominum liberator, largitus eſt. Cur Cœleſtinus Papa in eum, quem dixi, modum admoneretur, cauſa non alia erat, quam quod ipſe & ejus Anteceſſores Bonifacius & Zoſimus jus extremæ provocationis etiam ex Africanis provinciis ſibi vindicaſſent, quem conatum propterea fumoſum ſeculi typhum appellant, quod ſecularem principatum & ſuperioritatem imitaretur. Plus eſt, ſed Eccleſiaſtico homini minus decorum, bella gerere, quam jus extremæ provocationis ſibi vindicare. Et quid judicaturos ergo fuiſſe credamus patres Africanos, ſi armatos vidiſſent in Europa Epiſcopos.

§. 15. Cæterum iſtam poteſtatis ſecularis & Eccleſiaſticæ conjunctionem & utriusque exercitium, quatenus ab uno homine fieri poſſit, cum attentius perpendiſſet Claudius Eſpencæus, Theologus Pariſienſis, *digreſſ. l. 2. cap. 6.* atque ſecum reputaſſet, divelli a ſe invicem talia regimina amplius non poſſe, potentioribus plerisque omnibus in Epiſcopatus evectis, in hæc tandem erumpit verba: *Simus ſane domini temporales ſimul & ſpirituales, Abbates atque Barones, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Comites, Duces, Principes, Reges denique (ſiquidem Dominus voluerit) principum beneficio & largitate. Nihil enim vetat alicujus civitatis aut provinciæ dominum creari, ſi idoneus reperiatur, Epiſcopum: nihil item cogit talem facultates ſuas aut patrimonium relinquere, quaſi retinens Epiſcopatu fungi nequeat. Commendant Volaterranus lib. 4. & Jovius Othonem & Johannem Mediolani Archi-Epiſcopos eosdem atque principes: commendo & ego, modo ne armorum, quam ſacrorum ſtudioſiores continenter Italiam bello vexaverint, ſubactis bello aliis atque aliis locis in elogio ſepulchri contentis. --- --- Sed ſint hæc per me licet omnia Eccleſiaſtici & ſive ex hæreditate ſive Principum liberalitate merum imperium habeant, omnemque jurisdictionem ſive ipſi, ſive eorum nomine alii exerceant, --- --- ſed optandum, ea ne gubernatio a ſpirituali*

tuali eos procuratione avertat: duplicem gerant perſonam, ſed ne neglecta propria functione profana, multo minus vel potius omnium minime cruenta & bellica tractent, niſi forte neceſſitate plus quam urgente &c.

§. 16. Obſervat inſuper Marcus Antonius de Dominis *lib. 6. de Rep. Eccleſ. cap. 8. n. 10. & ſeqq.* Eccleſiam Chriſti graviſſima paſſam fuiſſe damna, poſtquam temporali regimine conſpicuam ſe reddiderit, laudatque Johannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis ſententiam ſtatuentis, multo utilius fuiſſe Eccleſiae principatus ejusmodi temporales nunquam habuiſſe, nimium ſtudium in multiplicatione & conſervatione bonorum temporalium & jurisdictionum in Eccleſia non exiguam cauſſam fuiſſe ſuæ deſolationis tam in ſpiritualibus quam temporalibus; ex dominiis iſtis nata in Romana Eccleſia fuiſſe ſchiſmata, & hinc odia, atque rancores, & cruentas ſæpe diſceptationes. Tandem concludit, principatus terrenos, qui ſine gladio materiali teneri non poſſunt, Eccleſiaſticos ita dedecere, ut ſit pene monſtrum, ſi terrena dominia voluerint ſimul cum Sacerdotio retinere. *Si principes eſſe velint terreni*, inquit, *abdicent ſe ſacerdotio, -- -- quia utraque totum requirit hominem, & altera tota carnalis & externa eſt, altera nunc poſt Chriſtum tota ſpiritalis, altera ſumma utitur manſuetudine, altera ſummo rigore & ira: altera ſervit ſuo gregi, altera imperat: altera humilitatem requirit, altera dominatum, & ſplendorem: altera indiget opibus, militibus, præſidiis, altera vacua curis debet eſſe externis, ut verbo poſſit inſtare expedite. Quid plura? temporalis ſummopere impedit ſpiritualem, ut propterea & Chriſtus & Apoſtoli & ſancti Patres ſevere prohibeant, ne miniſtri Eccleſiæ temporalibus diſtineantur impedimentis.* Similia ante annos plus quam trecentos ſcripſit Marſilius Patavinus *in defenſ. pac. part. 1. cap. 10.*

§. 17. Omittendum denique hic non eſt, quod de Johanne XII. Pontifice Romano refert Luitbrandus *lib 6. cap. 7.*

 inter

inter capita accuſationis, quorum ille reus poſtulatus fuit, extitiſſe etiam hoc, quod enſe accinctus, galea & lorica indutus fuiſſet. Cumque deinceps ad concilium citaretur, ut ab objectis criminibus ſe purgaret, idem refert Luitbrandus, pharetratum eum in campeſtria abiiſſe. Habitum fuit hoc concilium anno DCCCCLXIII. in præſentia Ottonis Imp. quod etſi peſſime a Baronio, Franciſco Longo a Coriolano & aliis perſtringatur, eo quod contra Pontificem coactum fuerit, abuſus tamen ſeculi iſtius & perverſos mores Pontificis abunde notatos & ut notorios negare hactenus potuit nemo. Cæterum in hoc ſubſtitit Johannes Papa, quod galeatum & loricatum ſe præbuit; in acie ipſe non ſtetit, nec prælio dimicavit, quod a ſucceſſore poſt ſeculi decurſum aliquando tentatum deinceps audiemus.

CAPVT XI.

Seculi undecimi, duodecimi & ſequentium res geſtæ, quæ huc faciunt, breviter expenduntur.

§. 1.

JActa alea, & Epiſcopis nunc paſſim arma tractantibus, id ſeculo undecimo non putavit a ſe alienum Sedes Romana. Anno namque MLIII. primus Romanorum Pontificum Leo IX. minus laudabili ad poſteritatem exemplo bellum movere cœpit, atque contra Normannos in Apulia tum Calabria atque Sicilia imperium auſpicantes exercitum nebulonum potius quam militum duxit. Sed illi in Marrucinis ad urbem Theate cum ingentibus inſtructi copiis occurriſſent, memorabili prælio commiſſo, victis Germanis Pontificem

ficem ipſum ceperunt, ſed honeſte mox dimiſerunt, contenti ſcil. quod ab eo Eccleſiæ communioni reſtituerentur, quippe a qua per excommunicationem paulo ante ſeparati fuerant.

§. 2. Hermannus Contractus *in Chronico*, cum mentionem belli hujus feciſſet, talem addit ἐπίκρισιν, Normannos *occulto Dei judicio, ſive quia tantum Sacerdotem ſpiritalis potius, quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat, ſive quod nefarios homines quam multos ad ſe ob impunitatem ſcelerum (quæ ex indulgentiis militi promiſſis reſultabat) vel quæſtum avarum confluentes contra itidem ſceleſtos expugnandos, ſive divina juſtitia alias, quas ipſe novit ob cauſas noſtros plectente quamvis nimis cruentam adeptos eſſe victoriam.* Ecce, agnovit Hermannus, hujus ejusdem ſeculi ſcriptor & Leonis coætaneus, non decere Epiſcopum & ſummum Pontificem pugnam carnalem, & hanc cladis hujus primam & præcipuam poſuit cauſam.

§. 3. Liberius adhuc factum hoc Pontificis perſtringit ejusdem ſeculi ſcriptor Petrus Damiani Cardinalis Oſtienſis *lib. 4. epiſt. 9.* quæ eſt ad Oldericum Epiſcopum Firmanum. Operæ erit precium, integra hic adſcribere verba, ut quæ eo ipſo tempore de Epiſcopis loricatis & galeatis ejus fuerit ſententia, clarius eluceat. *Sed cum inter cætera mala*, inquit, *quæ noſtris temporibus emergunt, ipſas quoque Eccleſias violenti homines inſolenter opprimant, ac prædia vel qualibet bona ſacri juris invadant, nonnullos movet, utrum Eccleſiarum Rectores expetere vindictam debeant, ut malis mala more ſecularium reddant. Nam plerique mox, ut eis vis infertur injuriæ, ad indicenda protinus bella proſiliunt, armatorum cuneos inſtruunt, ſicque hoſtes ſuos acrius forte, quam læſi fuerant, ulciſcuntur. Quod mihi plane ſatis videtur abſurdum, ut ipſi domini Sacerdotes attentent, quod turbis vulgaribus prohibetur, & quod verbis impugnant, operibus afferant.*

§. 4. Et poſt pauca: *Vita plane, quam Salvator noſter geſſit in carne, non minus quam prædicatio Evangelica nobis eſt & propoſita tenendæ linea diſciplinæ. Sicut ergo ipſe cuncta mundi furentis obſtacula non per diſtricti examinis ultionem, ſed per invictam ſuperavit inconcuſſæ patientiæ majeſtatem: ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel lædenti læſionibus reſpondere, præſertim cum inter regnum & ſacerdotium propria cujusque diſtingvantur officia, ut & Rex armis utatur ſeculi, & ſacerdos accingatur gladio ſpiritus, qui eſt verbum Dei. -- -- Plane quis non videat, quam ſit inboneſta confuſio, ut quod agendum Eccleſia denegat, impudenter ipſa committat, & cum aliis prædicet patientiam infœderabilem, ipſa contra innocentes accendatur in iram? -- -- Et revera qua fronte qua libertatis audacia Sacerdos quilibet in diſſidentium confœderatione deſudet, cum ipſe ſuis læſoribus non remiſſionis indulgeat veniam, ſed offeratur implacabiliter ad vindictam? -- -- Si ergo pro fide, qua univerſalis vivit Fccleſia nusquam ferrea corripi arma conceditur: quomodo pro terrenis ac tranſitoriis Eccleſiæ facultatibus loricatæ acies in gladios debachantur.*

§. 5. Refert deinde exemplum de Abbate quodam Gallo, qui cum comitatum ſuum inermem adverſus hoſtem armatum eduxiſſet, incruentam recepit victoriam, hoſtemque ad omne obſequium ſola ſua ſanctitate & integritate commovit. Tandem ad Leonis exemplum his verbis reſpondet: *At hæc ſi quis objiciat, bellicis uſibus Leonem ſe frequenter implicuiſſe Pontificem verumtamen ſanctum eſſe. Dico, quod ſentio, quoniam nec Petrus ob hoc Apoſtolicum obtinet principatum, quia negavit, nec David idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia torum alieni viri invaſit; cum mala uel bona pro meritis conſiderentur habentium, ſed ex propriis debeant qualitatibus judicari. Numquid hoc legitur vel egiſſe vel literis docuiſſe*

cuiſſe Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum eſt feritate perpeſſus? Num Ambroſius bellum Arianis ſe ſuamque Eccleſiam crudeliter infeſtantibus intulit? Numquid in arma ſanctorum quiſpiam traditur inſurrexiſſe Pontificum? Cauſas igitur Eccleſiaſtici cujuscunque negocii leges dirimant fori vel ſacerdotalis edicta conſilii; ne quod gerendum eſt in tribunalibus judicum, vel ex ſententia debet prodire pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium congreſſione bellorum.

§. 6. Hoc fuit tum Cardinalis Oſtienſis judicium, ſincerum certe & ſine fuco, ſed ex quo ſuas ſæpe inter Pontificios patitur cenſuras. Bellarmini *in lib. de ſcript. Eccleſ.* verba hæc ſunt: *In Epiſtola ad Firmum Epiſcopum liberius, quam par eſſet, videtur auctor reprehendere ſanctum Leonem nonum propter bellum contra Northmannos: neque enim illicitum eſt ſummo Pontifici armis defendere civitates, in quas dominium temporale habet. de quare vide tomum 11. Card. Baron. ad annum Domini 1053.* Quod ſi jam evolvatur Baronius, errore lapſum dicit Damianum, & errore quidem tali, cui catholica dogmata penitus adverſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab Eccleſia Romana, cathedra Petri, e duobus alterum gladium auferunt nec niſi ſpiritualem concedunt.

§. 7. Haud paulo modeſtior erga Damianum eſt, qui notas ad eum addidit, Conſtantinus Caëtanus, Syracuſanus, Monachus Caſſinenſis, cujus hæc ſunt verba: *Hæc pars hujus epiſtolæ attente legenda eſt, ne quis vel occaſionem errandi ſumat, vel auctorem in doctrina aberraſſe exiſtimet.* Ut ergo eum excuſet & defendat, veram & Catholicam doctrinam præmittendam eſſe monet. Nos audiemus. *Primo,* ait, *ſtatuendum eſt, hic eſſe ſermonem de principe Eccleſiaſtico, ut talis eſt, ſeu de Pontifice ut Pontifex eſt nam ſi conſideretur, ut dominus temporalis eſt per proprium & directum dominium & juriſdi-*

riſdictionem temporalem, quam habet in ſuis terris, non eſt dubium quin habet idem jus belli, quod habent alii ſupremi Reges & temporales domini, quantum ad rationem juſtitiæ ſpectat &c. Repetendum vero hic eſt, quod ſupra oſtendi, creditum fuiſſe antiquitus, poteſtatem temporalem & ſpiritualem in uno ſubjecto combinari non poſſe, atque docuiſſe eventum, plane ſuffocatum & extinctum fuiſſe munus paſtorale & Epiſcopale, poſtquam poteſtas temporalis ei ſuperaddita fuit.

§. 8. *Secundo*, dicit, *ſtatuendum eſt, Pontificem ex vi pontificalis dignitatis habere non ſolum gladium ſpiritualem, ſed etiam aliquo modo temporalem, quia poteſtas ſpiritualis, niſi haberet aliquo modo conjunctam poteſtatem temporalem eſſet inefficax & infirma* &c. Sed enim falſum hoc eſt, inefficacem & infirmam eſſe poteſtatem ſpiritualem ſine poteſtate temporali. Differunt hæ poteſtates formis & ſubjectis adæquatis, quibus quæque forma ex inſtituto divino proprie & principaliter competit. Neque altera ab altera ullo contactu cauſarum dependet, ſive quoad ſubſtantiam ſuam, ſive quoad exercitium, & utriusque exercitium ſeorſim vigere poſſe primitiva Apoſtolorum Eccleſia oſtendit. Et ſufficiat hic repetere verba Nicolai I. Pontificis ex Gratiani compilatione, *c. cum ad verum diſt. 96. & c. quoniam diſt. 10.*

§. 9. *Tertio*, inquit, *ſtatuendum eſt, aliter habere Pontificem, ut Pontifex eſt, ſpiritualem gladium & aliter temporalem: nam ſpiritualem habet per ſe & directe, temporalem autem ſolum indirecte, id eſt, ratione ſpiritualis & quantum ad illius finem conveniens eſt. Et ideo ſolus ipſe habet a Deo immediate ſpiritualem gladium. At temporalis gladius per ſe & directe in Imperatore & temporalibus Regibus ſeu Principibus invenitur, non per dimanationem a Pontifice, ſed per alios titulos & vias, per quas illa poteſtas juſte comparari vel hereditario jure obtineri conſuevit. Nam poteſtas illa ſuprema quam indirecte*

habet

habet Pontifex in temporalibus non aufert propria jura aliorum Principum, neque eos ſuis directis dominiis & poteſtate privat.

§. 10. Videat hic Caëtanus, ne in ſe concitet ſociennes ſuos, Viros in regno Pontificio magnæ autoritatis, qui defendunt, Romanum Epiſcopum habere jure divino directam & pleniſſimam poteſtatem in univerſum orbem terrarum, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum politicis, & poſſe de utrisque nulla differentia diſponere. Hanc opinionem tuentur Alexander Carerius *de poteſt. Rom. Pont. l. 2. cap. 9. ſeq.* Thomas Bozius *de jur. Eccleſ. lib. 2. cap. 12. ſeq.* Abr. Bzovius *de Pontif. Rom. c. 1. & 45.* & alii, quos citant magno numero. Nos vero Epiſcopo Rom. nullam omnino concedimus poteſtatem ſecularem in ordine ad ſpiritualia. Poteſtas Epiſcopi, ut formaliter mere ſpiritualis eſt, ita formaliter mere ſpirituales effectus producit, & circa ſpiritualia hominis bona verſatur, nec opus eſt Eccleſiæ, ut ſpirituales hi effectus producantur, vi externa & poteſtate ἀναγκαστικῇ. Totam iſtam diſtinctionem abſurditatis convincit Petrus Molineus *de monarch. temp. Pontif. Rom. cap. 6.* Barclaj. *de pot. Pap. c. 12. ſeq.*

§. 11. Dum ergo Caëtanus Damiani verba, *inter regnum & ſacerdotium propria diſtingvuntur officia, &c.* accipit de officiis per ſe & directe utrique dignitati convenientibus, vereor, ne non conveniat hæc explicatio menti & intentioni autoris. Ut probet Damianus, non decere Pontificem Romanum bella gerere, diſtincta eſſe ait officia Regis & ſacerdotis. At quomodo diſtincta erunt, ſi miſceri inter ſe poſſunt, ſi licet ſacerdoti bellum gerere, licet indirecte & per conſequentiam. Stupidus erit, qui non videat, rem eodem recidere, ſive directa ſive indirecta poteſtas Pontificis dicatur, dummodo judicium, ubi, quando, & quatenus hæc poteſtas

teſtas exercenda ſit, penes ſolum Pontificem maneat, et dummodo liceat, quandocunque velit, armis uti. Quo ſane caſu diſtincta amplius dici nequeunt regnum & ſacerdotium.

§. 12. Pergit Caëtanus: *Ultimo ſtatuendum eſt, quamvis Pontifex ex vi ſuæ poteſtatis, gladium habeat materialem modo jam explicato, non tamen debere uti illo perſeipſum, nec per Eccleſiaſticas perſonas extrà propriam defenſionem in caſu extremæ neceſſitatis, ſed per principes ſeculares, quibus præcipere poteſt, ut illo in ſuam defenſionem aut juſtam vindictam utantur, quando neceſſe fuerit. &c.* Ut vero conſtet, quouſque defenſio & juſta vindicta extendatur ſic ait porro: *Unde quando provocant* (Pontifices) *etiam ad bellum aggreſſivum, fere ſemper habet rationem defenſionis: quia nimirum injuria Eccleſiæ continue perſeverat: dum vel illius bona injuſte detinentur, vel ei obedientia debita denegatur, vel aliud detrimentum Chriſtianæ religioni fit. Ad bellum autem pure vindicativum raro aut nunquam provocant, non quia ab habente ſupremam poteſtatem non poſſit indici, ſed quia non eſt ita neceſſarium, neque adeo conſentaneum pietati & manſuetudini Eccleſiaſticæ, &c.*

§. 13. Sed ἀσύϛατα mihi hæc videntur, minimeque inter ſe cohærere. Si enim bellum aggreſſivum rationem habet defenſionis, ex eo quia injuria perſeverat, etiam bellum pure vindicativum rationem habebit defenſionis, quia vindicta ſemper præſupponit injuriam aliquam præcedentem: Sed vero hoc fortaſſe dicere voluit Caëtanus Pontificem non debere bellum pure offenſivum alicui inferre. Et de hoc quidem dubium nullum eſt, cum nec Principi id liceat, & bella quæ absque cauſa ſuſcipiuntur, pro ferinis merito habeantur. De bello igitur defenſivo quæſtio eſt, & neque hoc quidem ab Epiſcopis olim debellatum fuiſſe, hactenus adſtruximus.

§. 14.

§. 14. Tandem concludit Damiani hyperaſpiſtes, *Damianum nunquam de jure Eccleſiæ ad bellum indicendum his modis juſtis & honeſtis dubitaſſe, nec de hac re quidquam in hac epiſtola tractaſſe, ſed ſolum de facto & de abuſu aliquo, & exceſſu, qui eo tempore ab aliquibus prælatis in hoc negocio committebatur. Unde ſi quidquam in hac parte exceſſerit, eſſe eum errorem in facto non in doctrina, & reprehendere eum potius circumſtantias, quam ſubſtantiam facti, nimirum, quod fiat in ultionem & nimia facilitate, & cum rigore vel ſævitia, ac denique quod in propria perſona Eccleſiaſticorum fiat, & hoc denique ſub ſchemate reprehendere Leonem IX. quod in perſona ſit comitatus exercitum contra Northmannos, quamvis actualem belli congreſſum non intraverit*

§. 15. Conferat jam benevolus Lector ipſa Damiani verba, & videat atque judicet, num talem patiantur interpretationem. Dicit Caëtanus, a Damiano non improbari bellum aggreſſivum a Pontifice Romano aut alio Epiſcopo indictum, ſi id fiat propter injuriam Eccleſiæ illatam aut obedientiam denegatam, ſed id ſemper habere rationem defenſionis. At clara ſunt Damiani verba: *Nam plerique mox, ut eis vis infertur injuria ad indicenda protinus bella proſiliunt, armatorum cuneos inſtruunt, ſicque hoſtes ſuos acrius forte, quam læſi fuerant ulciſcuntur.* Non hoc tantum reprehendit Damianus, quod vindicta offenſionem excedat, ſed principaliter illud, quod propter illatam injuriam protinus exercitus conſcribantur & bella ab Epiſcopis inferantur.

§. 16. Quod vero de Leonis facto addit Caëtanus, comitatum eum tantum fuiſſe exercitum, congreſſum ipſum non intraſſe, id ex Baronio habet, *ſub anno 1053. n. 15.* ſed ſine ſuffragio hiſtoricorum. *Contra Northmannos exercitum movit*, ait Hermannus Contractus. Lambertus Schaffnabur-

genſis: *Leo papa profectus contra Nos, manus contulit cum eis prope Beneventum ſigna.* Conradus Urſpergenſis: *Poſt hæc Apoſtolicus Romam rediit, multis cum diverſarum provinciarum militibus, imperiali præceptione & amicorum ſubventione comitantibus, & poſt paſcha exercitum ducens in Apuliam contra Normannos, illius terræ quondam advenas, ſed tunc poſſeſſionum Apoſtolicarum invaſores, & Romani Imperii hoſtes pugnavit, & infinita utrobique cæde peracta papa cum paucis fugiens abſque victoria regreditur.* Certum hinc fit, Leonem interfuiſſe & præfuiſſe bello, ut ſupremum principem, etſi manus ipſe forte non conſeruerit, quippe quod nec reges, qui bella gerunt, nec belli duces ſemper faciunt.

§. 17. Atque hæc occaſione verborum Petri Damiani annotanda fuerunt; prolixiora ea quidem, & præter inſtitutum, non tamen aliena. Ex quibus patet, non omnibus placuiſſe factum Pontificis Romani, non certe Damiano, Viro, Bellarmini judicio, valde ſancto & devoto, cujus, ut Baronius notat *ad ann. 1063.* tanta æſtimatio in Eccleſia Dei erat, ut quæ ipſe facienda moneret, tanquam oracula divina pii quique perciperent. Aucta eſt Leonis improbitas ex eo, quod Normannorum Ducem infimis precibus pacem petentem audire noluerit, gratiamque omnem negaverit.

§. 18. Eundem Leonem inter antiquos Hiſtoricos adhuc alius perſtringit his verbis, quæ leguntur apud Fr. Juretum ad Jvonis *epiſt 30. Iſte primus Romanorum Pontificum a B. Petro ad ſe uſque cum manu armata in bellum proceſſit. Qui quamvis ſanctus fuerit, & pio hoc animo egerit, tamen quia id ejus non erat officii, neque hoc illi permiſſum fuerat a Domino, qui pati venerat, ſuosque ut ab aliis magis paterentur, quam ut alios perſequerentur, præmonuerat, ideo exercitus ſui multitudo cæſa eſt, ipſo proſpiciente. Non enim Dominus diſcipulis ſuis,*

ſuis, neque idem Apoſtoli ſuis ſucceſſoribus præceperunt, ut curis ſecularibus velut Principes ſeculi materiali gladio Dei populum tuerentur, ſed verbo doctrinæ monerent & piæ converſationis exemplo inſtituerent.

§. 19. Veſtigium hujus Leonis inſiſtens Gregorius VII. hoc eodem ſeculo XI. a ſede & Urbe pulſus *lib. 8. epiſt. 7.* undique auxiliares copias collegit, ut reſtitui poſſet. Hic eſt ille Gregorius, qui, ut ait Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis, vel quicunque autor eſt apologetici operis *de unitate Eccleſiæ* ex Fuldenſi Bibliotheca ab Ulrico Hutteno in lucem editi, cum *aliquando os ſuum aperuit, Eccleſiam diviſit, & propheticam ollam in tantum accendit, ut per ſeptendecim & eo amplius annos ubique ſint in regno Romani Imperii bella & ſeditiones Eccleſiarum & monaſteriorum incendia & deſtructiones, & ut ſit Epiſcopus adverſus Epiſcopum, clerus adverſus clerum, populus adverſus populum, immo filius adverſus patrem, & pater adverſus filium & frater adverſus fratrem.*

§ 20. His Coriphæis non meliores eſſe poterant Epiſcopi alii, de quorum cruentis concertationibus antequam huc ſpecialia annotem, operæ precium erit in eorum mores inquirere, & quam facile illis fuerit ex ingenti faſtu, quo tum intumeſcebant, in pugnas & bella exardeſcere, levi penicillo delineare. Faciam autem id verbis ſupra laudati Petri Damiani, *ex opuſculo 31.* quod contra munerum cupiditatem ſcripſit, ubi *cap. 6.* ſic infit. *Porro autem qui ejusmodi ſunt, non ad hoc conqueruntur inopiam, ut indigentiam naturæ neceſſitatum ſuſtentaculis fulciant, ſed ut turritæ dapibus lances Indica pigmenta redoleant, ut in cryſtallinis vaſculis adulterata melle vina flaveſcant. Ad hoc certe ditari cupiunt, ut quocunque deveniunt, præſto cubiculum operoſis & mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, ſicque parietes domus ab oculis intuentium tanquam ſepeliendum cadaver obvolvant. Mox*

etiam tapetis prodigioſas imagines præferentibus ſedilia ſternunt, peripetaſmata laquearibus ne quid occiduum delabatur, opponunt. &c.

§. 21. Et poſt pauca: *Hoc ergo modo, cum ſobrietas ſoleat commendare Pontifices, effuſis nunc opibus facti ſunt belluones. Regalis itaque purpura, quia unicolor eſt, vilipenditur, pallia vero diverſis ſucata nitoribus ad ſublimis lectuli deputantur ornatum. Et cum domeſtici murices noſtris adſpectibus ſordeant, transmarinorum pelles, quia magno precio coemuntur, oblectant. -- -- Tædet cætera vanitatis attexere, non ridenda, ſed gemenda ridicula. Faſtidium eſt tot ambitionis ac prodigioſæ veſaniæ dinumerare portenta, papales ſcil. infulas, gemmis micantibus, aureisque bracteolis per diverſa loca corruptas. Imperiales equos, qui dum pernices greſſus arcuatis cervicibus glomerant, ſeſſoris ſui manus loris innexas, indomita ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis. Prætereo virgas non jam auro gemmisque conſpicuas, ſed ſepultas. Nunquam certe vidiſſe me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, ſicut erant, qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur Epiſcopis, &c.*

§. 22. Tantum in luxum cum effunderentur paſſim Epiſcopi, mirum non eſt, eos etiam talia ſæpe affectaſſe, quæ prorſus aliena ab eorum ſtatu & conditione olim credita fuerunt. Hinc enim etiam armis adſuefacti non quietam amplius & tranquillam cum pietate & charitate egerunt vitam nec precibus amplius & ſacris meditationibus vacarunt, ſed prout vel ambitione, vel iracundia, vel ſimili animi morbo ducti fuerant, exitialia ſæpe bella excitarunt, & integris inſtructi exercitibus in mutuam ſæpe perniciem, maximis ſtudiis, ſumptibus, atque periculis fata ſua traxerunt.

§. 23. Qui cum Hildebrando ſive Gregorio VII. Papa fecerunt Epiſcopi, amarulentis ac ſangvinolentis conſiliis con-

concordiam Eccleſiaſticam & ſalutem rei Chriſtianæ peſſime everterunt. Eos deſcribit Waltramus Numburgenſis *loco ante citato*, quod fuerint *corporum pariter & animarum homicidiæ: corporum quidem, quoniam ipſi utpote Viri ſangvinum & doloſi, uſi ſunt manibus ſibi obſequentium ad necem plurimorum: animarum autem, quoniam occiderunt, quotquot ſeparaverunt ab unitate Catholicæ Eccleſiæ: quoniam filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingva eorum gladius acutus, quales merito dicuntur ſynagoga Satanæ. &c.*

§. 24. In ſequentibus mentionem facit eorum, qui Rudolpho adverſus Henricum III. Imperatorem adhæſerant, & quis prælii anno MLXXVIII. commiſſi, cui ſcil. ipſi intereſſe non duxerant piaculo, tandem fuerit exitus, breviter recenſet: *Rudolphus Rex*, inquit, *fugatus eſt, & Sigefridus Moguntinæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopus in fuga captus & vix de ſuſpendio liberatus atque dimiſſus eſt. Wecelinus quoque Parthenopolitanæ h. e. Magdaburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus in fuga occiſus eſt: & Werinherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus mortem vix evadens, nudus omnino dimiſſus eſt: & Adalbertus Wormacienſis Eccleſiæ Epiſcopus captus eſt, & Regi Henrico oblatus: ſimul & Herimannus magni Ducis patruus, unus ſcil. de principibus, in quibus non eſt ſalus.*

§. 25. De Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopo refert idem Waltramus, quod cum ex infimo loco ab Henrico Imperatore evectus fuiſſet, ei hanc gratiam retulerit, quod diuturnum & grave in eum Saxonum, Thuringorum atque Svevorum bellum concitarit; ſed quæ res hunc tandem eventum habuit, ut poſt tredecim expeditiones, quibus adverſus Imperatorem ſtetit ipſe, in ſeditione tandem a popularibus ſuis excitata occideretur. Meminitque Johannes Aventinus *lib. 5. annal.* univerſos Epiſcopos, principes, faces & anteſignanos belli civilis, quo ſeptendecim annos Reſp. attrita fuerat, uno anno extinctos eſſe.

§. 26. Memorabilis eſt pugna, quam anno MLXIII. Goslariæ in ipſo templo propter ſeſſionem excitaſſe Hecelonem Epiſcopum Hildesheimenſem & Wideradum Abbatem Fuldenſem ſcribit Lambertus Schaffnaburgenſis his verbis: *Rex Pentecoſten Goslariæ celebravit. Ibi dum ad veſpertinalem Synaxin Rex & Epiſcopi conveniſſent, rurſus de poſitione ſellarum Epiſcopalium tumultus exoritur, non fortuita, ut prius converſione*, (paulo ante enim ſimilem ſed repentinum tumultum contigiſſe ſcripſerat) *ſed præmeditata diu machinatione. Nam Epiſcopus Hildesheimenſis acceptæ prius contumeliæ memor, Ecbertum Comitem cum expeditis militibus retro Altare occuluerat. Hi audito tumultuantium camerariorum ſtrepitu ocyus advolant, Fuldenſium alios pugnis, alios fuſtibus cædunt, proſternunt, & de ſacrario Eccleſiæ inopinato periculo attonitos facile proturbant. Quibus illico ad arma conclamantibus, Fuldenſes quibus arma in promptu erant facto grege Eccleſiam irrumpunt, in medio chori pſallentiumque fratrum manus conſerunt, rem jam non fuſtibus ſed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam Eccleſiam pro hymnis & canticis ſpiritualibus vociferatio adhortantium, & ululatus morientium exauditur. Super altaria Dei triſtes jugulantur hoſtiæ, paſſimque per Eccleſiam ſangvinis currunt flumina, non legali, ut quondam, religione, ſed hoſtili crudelitate profuſa. Epiſcopus Hildesheimenſis capto editiori loco tanquam militari quodam claſſico, ſuos ut fortiter præliarentur hortabatur, & ne loci religione ab armis terrerentur, ſuæ autoritatis & promiſſionis titulum obtendebat. Multi utrinque vulnerati, multi occiſi ſunt, inter quos præcipui erant Regenbodo ſignifer Fuldenſis & Bero Ecberto Comiti cariſſimus miles. Rex inter hæc vociferans & ſub obtentu Regiæ majeſtatis populum adjurans, ſurdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus a ſuis, ut vitæ propriæ pugna excedens conſuleret, vixque inter conſtipatam arctius mul-*

multitudinem eluctatus in palatium ſe recepit. Hildesheimenſes, qui inſtructi præmeditatique ad pugnam venerant, ſuperiores efficiuntur. Fuldenſes, utpote quos inermes inopinatosque ſubito exortæ ſeditionis procella contraxerat, fuſi fugatique atque de Eccleſia expulſi ſunt, &c.

§. 27. Plura exempla non addam, quanquam ex hiſtoria ejus ſeculi plura afferri poſſent, ex qua ſcil. conſtat, non pacificos amplius & patientes, ſed militares plane & turbulentos atque irritabiles fuiſſe animos Epiſcoporum. Nec quisquam fere tum fuit, qui quantum Eccleſiæ nitori per ſangvinarios ejusmodi & bellicos apparatus, perque cruentas concertationes, & iteratas clades decederet, digne animadverterit. Ut quis manibus promptus erat, ut opibus inſtructus, ut armis potens, ita ferocienti animo indulgere & militem conſcribere, atque cum quovis vel Imperatore vel principe pugnam inire non ducebat piaculo.

§. 28. Inventi tamen ſunt identidem, quibus iſti Epiſcoporum mores notati & reprehenſi fuerunt. Hermanni Contracti & Petri Damiani teſtimonia adduximus ſupra, uterque fuit ex nobili proſapia, ille nobiliſſimi cujusdam Comitis filius, alter nobilis Ravennas, atque ſic ad arma natus, uterque tamen monachus. Vixit eodem ſeculo Ivo Carnotenſis Epiſcopus, homo eruditus & in jure canonico, quale tum fuit, verſatiſſimus, qui gladium materialem & ſpiritualem ab invicem ita diſtingvit, ut uni homini tribuere utrumque tantum non pro monſtro habeat. Sic enim ait, *epiſt. 247. Quomodo Eccleſia judicare debet fundendum ſangvinem alienum quæ a primo ortu ſuo juſſa eſt fundere ſangvinem proprium? Faciant hæc cincti judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias ſpirituales gladio ſpiritus pugnant, ut cum unumquodque membrum Eccleſiæ officium non uſurpaverit alienum, laudes mereatur, quæ ſpon-*

ſæ

ſæ Chriſti cantantur. -- -- Alioquin ſi alieni ordinis uſurpatores fuerimus, nec noſtri officii, quod poſt poſuimus, nec alieni, quod uſurpavimus, meritum obtinebimus, ſed tanquam capite deorſum poſito & pedibus erectis thymelicorum inceſſum imitabimur. Idem *epiſt. 30*, monet Fulconem Beluacenſium Epiſcopum, ut *mundanam ſuperbiam non armis mundanæ malitiæ, ſed armis Chriſtianæ militiæ ſuperare* laboret.

§. 29. Extat in Syntagmate tractatuum, de Imperiali juriſdictione, quod Simon Schardius edidit, adverſus Paſchalem ſecundum Cleri Leodienſis Epiſtola, poſtquam is Roberto Flandriæ Comiti mandaſſet, ut Leodienſes Epiſcopo ſuo Henrici Imp. partes tuenti obſequentes armis perſequeretur. In ea graviter inſultant Paſchali, quod ab Anteceſſorum ſanctitate prorſus recedat, & bella magis, quam ſacra ſectetur altaria. Inter alia ſic ſcribunt : *Quis Pontificum Romanorum ſuis unquam decretis authorizavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint, & quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit. -- -- Hoc exemplo omnes a Gregorio primo contenti utebantur ſolo gladio ſpirituali, uſque ad ultimum Gregorium, i. e. ad Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli. &c.*

§. 30. Sub eodem Paſchali II. habitum fuit Concilium Pictavienſe, cujus in Canonibus decretum fuit, ut Clerici arma portantes excommunicentur. Refertur id in collectione Gregorii IX. *c. clerici 2. X. de vit. & honeſt. clericor.* Cumque canon iſte generalis ſit, atque nullam omnino contineat exceptionem, ita eum intelligendum eſſe recte ait Franciſcus Florens *in diſſertat. ad d. cap.* ut nec juſta quidem ex cauſa etiam in bello Clericis arma tractare liceat. Et quomodo ergo excuſati erunt Epiſcopi, qui hoc ſeculo tot bella excitarunt, aut excitata armis & militibus ſuis foverunt.

§. 31.

§. 31. Paulo benignior in Clericos arma geſtantes fuit exeunte ſeculo duodecimo Clemens III. dum eos privilegio tantum clericali exuit & quidem non prius, quam tertio a Prælatis ſuis admoniti fuerint. *cap. 25. X. de ſentent. excomm.* ubi comparat eos matronis in veſte meretricali deprehenſis. Qemadmodum igitur non decet matronam habitus meretricius, ſic neque Clericum lorica, aut galea. Matronas enim olim a proſtibulis ac meretricibus veſtitu fuiſſe diſtinctas, ex hiſtoria utraque Græca & Romana conſtat. Vid. Lipſ. *ad annal Tacit, lib. 2.* Deſider. Herald. *ad. Tertull. apologet. cap. 6.* Imo vero uti hac ratione matrona opponitur meretrici & proſtibulo, & inter ſe illæ adverſis faciebus atque nominibus pugnant, ſic clericus militi, ex ſententia ipſius Pontificis.

§. 32. Circa hæc tempora multum valuit in Eccleſia autoritas Petri Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia Archi-Diaconi & apud Cantuarienſem Archi-Epiſcopum Cancellarii, qui multa cum παῤῥησία, qua in coarguendis quorumlibet mortalium vitiis utitur, inter alios etiam Robertum Cameracenſem Epiſcopum acriter perſtringit, quod rebus ſecularibus ſeſe implicet, & ſanguinaria magis tractet negocia, quam ea quæ miniſterium Eccleſiaſticum concernunt. Inter alia hæc eius ex *epiſt. 42.* ſunt verba: *Tui opinionem nominis enormiter gravat, quod cauſas ſangvinis agis, quod abjecta Eccleſiarum ſollicitudine negociis ſecularibus te totum occupas & involvis. Veruntamen tui profeſſio ordinis nec degeneres ſeculi curas, nec ſævitiam gladii materialis admittit. — — Hæc eſt rota, qua volveris inceſſanter, dum publicis & Laicis actionibus ambitioſe te ingerens Chriſti Sacramenta profanas: electus in Pontificem ſangvinolenta conſcientia exerces gladii poteſtatem. -- -- Si acceptas miniſterium Chriſti, ſi jugum Chriſti non detrectas, permane in ea vocatione, in qua vocatus es, di-*

mittaſque Laicis populi principatum. Certe Philippus de Merlaico Canonicus Carnotenſis jugum Domini abjiciens, ſicut ſcis, ad arma ſe tranſtulit: cumque magnis populis nuper praeeſſet in prælio, ſagitta percuſſus interiit. Lex enim cœleſtis eſt, & regula divini judicii, quod exitus hujus vitæ infelices habebit, qui mundanæ dominationis obtentu Chriſti militiam derelinquit. Mors Philippi & aliorum plurimum deterrere te poteſt, &c. Hactenus Bleſenſis, ſtylo quidem liberiore, quam ferre poterat Epiſcopus Cameracenſis, prudenter tamen, & omnino ſecundum ſententiam veteris Eccleſiæ.

§. 33. Tempore Innocentii III. qui exeunte ſeculo duodecimo ſedem Romanam tenuit, ſimiles prodierunt conſtitutiones. Et maxime illuſtris eſt ea, quæ habetur *cap. 5. X. de pœn.* his verbis: *Quia tam Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quam qui perſonaliter exercent conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant: de rigore canonico eos credimus deponendos.* Niſi totus fallor, voluit Innocentius, Papa cæteroquin ſupra omnes mortales ambitioſus & ſuperbus & ad omnia ſcelera pro præmiis datis vel promiſſis cereus & proclivis, uti eum deſcribit Matthæus Pariſius *ad ann. 1213.* priſtinam Clericorum diſciplinam reſtaurare, eoſque a bellicis cogitationibus prorſus avertere. Et quod probe notandum, non eos tantum peccare ait, qui ipſi pugnæ interſunt, ſed &, qui ſolummodo gubernant, h. e. armant, inſtruunt & mittunt naves ad pugnam, ſed & eos, qui alios incitant ad pugnandum. Et videtur hinc, non placuiſſe Pontifici, quod docuerint nonnulli, non licere quidem Epiſcopis ipſis pugnam inire, armatamque exercere militiam, ſed licere tamen incitare & adhortari Principes ad pugnam, & ad fortiter gerendum opus, quorum mentionem feci ſupra *cap. 8.*

§. 34. Excipit tamen ipſe cruciatam, uti vocant, ſive expeditionem in Terram ſanctam, quam tum temporis multo

multo ſtudio omnibus principibus Chriſtianis ſuſcipiendam ſuaſerat, forte ideo, ut ipſe interea quaſi vacua in aula dominaretur, & fimbrias poteſtatis ſuæ impune dilataret, quod aliquorum Pontificum artificioſum in talibus expeditionibus fuit inventum. Circa cruciatam igitur cum devoto ultramarino a Clericis nuncupato quæſitus fuiſſet Innocentius *c. 9. X. de vot. & vot. redempt.* fatetur, clericatus officium inhabilem quem reddere ad pugnandum, & per votum habilem non fieri, nec igitur cogi debere ad votum proſequendum. Admittit autem redemptionem voti tum, quando neceſſitas exigit vel utilitas perſvadet. Cæterum perſolvi a Clerico nuncupatum votum debere, quando ipſe vel conſilio ſtrenuus vel officio prædicationis inſtructus, aut magnatum eſt obſequio deputatus, vel usque adeo dives fuerit & potens, ut ſumptibus ſuis alere poſſit milites, tum enim obligari ait Clericum non ad pugnandum, ſed ad alia munia in bello obeunda. Joh. Bapt. Vivian. *in rat. ad h. t.*

§. 35. Dixerat in priori conſtitutione Innocentius, peccare clericum, qui alios incitat pugnandum, ſed hic excipit cruciatam, in qua admittit, ut clericus conſilio bellico interſit, & ut ipſe quoque, ſi poſſit, milites conſcribat. Et hoc propter votum, ſi quod nuncupatum eſt. Extra talem caſum nec votum quidem belli cauſa ſuſceptum Clericum obligabit, quia, tum res redit ad caſum prioris conſtitutionis, qua dicuntur peccare clerici, qui alios incitant ad pugnandum. Quid autem ſentiendum ſit de expeditionibus iſtis, quæ fiunt in terram ſanctam, videri poteſt apud Gisbert Voët. *tom. 3. diſpp. theolog. pag. 923.*

§. 36. Facit huc, quod ſeculo XII. Alexander III. & Innocentius III. effuſionem ſangvinis tam alienam eſſe voluerint a Clerico, ut illum ab omni judicio, tum & executione criminali prorſus excluderent. Conſtitutiones habentur

tur. *c. 5. & 9. X. ne cler. vel monach.* In ultima hac diſerte prohibentur Clerici ruptariis vel balliſtariis, aut ejusmodi Viris ſangvinum præponi, h. e. uti Bartholomæus Ugolinus *de offic. Epiſc. c. 13.* §. *10. n. 1.* explicat, prohibentur eſſe præfecti militum. Pro *ruptariis* Antonius Dadinus Alteſerra *ad hanc Innocentii conſtitutionem* legere mavult: *rutariis*, quod rutæ olim dictæ fuerint turmæ equeſtres, quibus præfici Clericos Innocentius noluerit. Quicquid hujus ſit, tamen iſtud certum eſt, in genere morum creditum adhuc tum fuiſſe, in uno ſubjecto uniri clericum & militem non debere.

§. 37. Imo vero, ut Clericos ab omni ſangvinis effuſione puros cuſtodiret Innocentius, in eadem conſtitutione etiam Chirurgiæ artem, quatenus aduſtionem vel inciſionem inducit, ab eis exerceri prohibuit. Valetudinis tuendæ aut reſtituendæ cauſa fieri ſolent aduſtiones & inciſiones ejusmodi, qui finis neque illicitus eſt, neque inhumanus; & tamen ideo prohibentur Clerici eas facere, quia dolorem in corpore humano cauſantur & ſangvinem eliciunt. Quanto magis ergo prohibendi erunt Clerici armis hoſtilibus ſangvinem effundere, & vel acie inſtructa, vel excurſionibus, vel velitatione confligere.

§. 38. Nec profecto ad privilegium ſuum, ex quo inviolabiles eſſe volunt, provocare poſſunt Clerici illi, qui bello concertare non erubeſcunt. Conſtitutum eſt jure Canonico noviori, ut excommunicationis ipſo jure incurrat ſententiam, quisquis Clericum percuſſerit, aut in vincula conjecerit, *c. 5. X. de ſent. excomm. c. 29. X. eod.* Excommunicatus igitur erit integer exercitus, qui bellicoſum Epiſcopum vicerit, aut captivum duxerit, præſertim cum ſententia excommunicationis etiam in adjutores extendatur,

tur, 47. *eod.* Sed non eſt, ut hic metuatur inane hoc fulmen pontificium, cum ipſimet illi Epiſcopi, dum bella gerere non verentur, periculo huic ſe objiciant, atque ſuo, quod jactitant, privilegio, indignos ſe faciant, *c. 25. X. de ſentent. excomm.* Alioquin ſi tam ſancti & inviolabiles eſſe deberent ejusmodi milites, ut adverſus eos in acie ſtantes nullo modo pugnare, nec in eos manus injicere liceret, certa & perpetua penes Epiſcopum aut Clericum milites educentem erit victoria. Sed iſta philoſophemata perſvaderi hactenus potuerunt hoſtium nulli.

§. 39. Oppido memorabile eſt, quod Belluacenſi Epiſcopo anno poſt Chriſtum natum MCXCVII. contigiſſe ſcribit Gulielmus Neubrigenſis *lib. 5. rer. Angl. cap. 22.* his verbis: *Belluacenſis Epiſcopus homo ferocis animi & propinquitate regia inclytus, audiens Miliacum oppugnari, ſumptis propere armis, non ſuis, i. e. militiæ ſecularis non ſpiritualis, cum armata multitudine contra hoſtes audacter egreſſus, & fortiter cum eis congreſſus, bellicoſus magis Pontifex, quam religioſus apparuit, ſed fortunam non recte culpavit. Nam judicio Dei victus, captus & vinctus cum quibusdam aliis nobilibus, Regi Anglorum, cui tam in Orientali expeditione & Alemannicis vinculis conſtituto, quam regreſſo ad propria, ſupra modum infeſtus extiterat, gratiſſimum munus oblatum eſt. Cumque Rothomagi vinctus ſervaretur, duo, ut dicitur, ex familiaribus Clericis ejus ſupplices ad Regem venerunt, poſtulantes gratiam, ut ſibi liceret domino ſuo in vinculis miniſtrare. Quibus ille, vos, inquit, judicate inter me & dominum veſtrum: Ut enim quæ mihi vel intulit, vel molitus eſt mala, oblivioni tradantur usque ad annum, certe ab oriente rediens & detentus ab Imperatore Romano, reſpectu perſonæ Regiæ mollius tractabar, & cum decenti honore ſervabar; ſuperveniens autem idem Dominus veſter veſpere, cujus rei gratia venerit, & apud Imperatorem*

nocte quid egerit, expertus ſum mane. Aggravata eſt enim ſuper me manus Imperatoris, tantoque mox oneratus ſum ferro, quantum aſinus vel equus vix ferre poſſet. Juſte ergo diſcernite, qualem dominus veſter habere cuſtodiam debeat apud me, qui talem mihi fecit apud detentorem meum. Clerici vero ad hæc non habentes quod dicerent, fruſtrati abierunt. Bellicoſus itaque Pontifex ſervabatur in vinculis & tractabatur ab hoſtibus mitius forte, quam meruerat, ſed plane durius, quam Epiſcopum decebat. Interpellavit autem per ſuos Romanum Pontificem, ut Eccleſiaſtici vigoris inſtantia liberaretur de manibus detentoris. Idem vero ſummus Pontifex prudenter conſiderans, quod Rex Anglorum Epiſcopum non prædicantem ſed præliantem cepiſſet, & rigidum magis hoſtem, quam pacificum Præſulem teneret in vinculis, ut vinctum relaxaret, illi moleſtus eſſe noluit, ſed interpellanti ſapienter & diſcrete reſpondit, improperans, quod ſecularem militiam Eccleſiaſticæ prætuliſſet, & pro baculo paſtorali lanceam, pro mitra galeam, pro alba loricam, & clypeum pro ſtola ſumpſiſſet, & gladium ferreum pro gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei &c.

§. 40. Ex his vero, quæ hactenus diximus, patet, multum deferbuiſſe priſtinam, quibus Clerici olim mores ſuos commendabant, devotionem, maximeque mutatum eſſe ſtatum Epiſcopalem. Gradu olim movebatur, & ad communionem Laicam amandabatur, quin & poſt obitum publica commemoratione indignus judicabatur, quicunque ex Clericis bellica ſecutus fuerat ſigna. Sed ſeculo XIII. Honorius III. Pontifex abſtinere tantum jubet miniſterio altaris, qui in conflictu cum infidelibus aliquem ex hoſtibus interfecerat. *c. pen. X. de homicid.* Sic igitur ſenſim remiſſior facta eſt diſciplina Eccleſiaſtica.

§. 41. Hodie ſubtiliter admodum & operoſe diſputatur, an & quatenus Clericus arma induens irregularitatem in-

incurrat. Quam theſin in genere quidem affirmare ſolent Canoniſtæ, ut tamen præviam requirant trinam commonitionem ex *c. 25. X. de ſent. excomm.* ſed exceptiones mox addunt, quibus omnis illico tollitur irregularitas. Si ex neceſſitate, ajunt, publica militiæ nomen dederit, ſi pro aris & focis dimicandum ſit, non ea vis eſt contractæ irregularitatis, ut beneficio aut alio munere Eccleſiaſtico Clericum exuat, quamvis ad nova tendentem procul arceat, donec pontificio reſcripto reſtitutus ſit. Vid. Bengeus & Pinſſonius *de benef. Eccleſ. tit. de. vit. & honeſt. Cler. §. 6. caſ. 3. n. 18.* Joh. Gutierrez *canon. quæſt. lib. 2. cap. 6. num. 59. ſeq.*

§. 42. Utrum conveniat hæc doctrina diſciplinæ publicæ olim introductæ, ex ſupra dictis patet. Nec fruſtra dubitatum aliquando fuit in Gallia, utrum valere debeat diſpenſatio pontificis, qua Clericos milites in priſtinum ſtatum & privilegia reſtituerat, referente Joh. Paponio *lib. 1. tit. 6. arreſt. 7.* Nos vero jubemur & cogimur credere, etiamſi tota repugnet Eccleſia antiquior, poſſe papam ex Epiſcopis ſuis quandocunque milites facere, neque tum excidere Epiſcopum dignitate & privilegiis ſuis, & manere in ſtatu ſuo, etſi quamplurimos ipſe manu ſua interfecerit, quia ſcil. Papa ita voluit, & circa officium Clericale diſpenſavit. Vid. Didac. Covarruvias *ad Clem. ſi furioſus part. 2. §. 3. num. 2.* Michael Ferro Manrrique *de diff. concord. utr. for. quæſt. 198.*

§. 43. Cæterum, ut pro licitis haberentur arma Clericorum, non dubito, maximam partem proueniſſe ex obligatione feudali, poſtquam ſcil. vel dare vel accipere feuda cœpit Eccleſia, aut in ea Clerici. Quia enim feudorum ſervitia ex primæva ſua natura militaria ſunt & equeſtria, propter quæ ſcil. ipſi etiam vaſalli milites appellantur, ſimul atque beneficia iſtiusmodi in Eccleſiam aut perſonam Eccleſiaſti-

ſiaſticam collata aut jure ſucceſſionis a talibus acquiſita fuerunt, dubium mihi non eſt, maximas illico diſputationes exortas fuiſſe, an & quatenus ſubſiſteret iſta feudorum translatio.

§. 44. Neque adhuc ceſſat iſta in ſcholis diſputatio, quæ de tribus his quæſtionibus inprimis inſtituitur: 1 Utrum feudum concedi poſſit Clerico? 2. Utrum Clericus in feudo jam conſtituto ſuccedere poſſit? & 3. Utrum, qui feudum ſemel adeptus eſt, ſi Clericus fiat, retinere illud queat? Vid. Hermann. Vultej. *de feud. lib. 1. c. 9. n. 67.* Potiſſima ratio dubitandi eſt iſta, quia miles Chriſti non debet eſſe miles ſeculi, *2. F. 21.* Et obſervat Franciſcus Duarenus *in conſuet. Feud. cap. 6. in fin.* infeudationes, quæ Clericis fiunt, introductas eſſe corruptis jam moribus Eccleſiaſticis, corrupta jam diſciplina Eccleſiaſtica, & hoc jure nos uti contra veteres Canones, contra ipſum jus Longobardicum.

§. 45. In eandem ſententiam tranſit Udalricus Zaſius *de feud. part. 5. n. 71.* quando ait: *Ego in hoc nihil firmo; hoc tamen ſcio, quod textus feudales expreſſe volunt, quod qui Clericus efficitur, hoc ipſo feudum amittat: quod & rationem habet: Nemo enim militans Deo ſecularibus ſeſe negociis implicet. Attamen quia communi opinione obtentum eſt, quod Clericus feudum capere poſſit, quod & jus Canonicum admittere videtur, calamum reprimo. Hoc tamen ex Divi Hieronymi verbis dico, Clericum eſſe de ſorte Domini, qui divinis officiis & contemplationi deditus ab omni ſecularium ſtrepitu ſemotus eſſe debeat, victu & veſtitu contentus, ut & ipſe Dominum poſſideat, & ab ipſo domino poſſideatur. -- -- Certe & uſibus feudorum juſtiſſime & omnino ex Chriſtiana ſinceritate cautum eſt, ne Clericus feudis implicetur. Verba ita ſe habent: Et jure & moribus receptum eſt, vaſallum Clericali ſe militiæ dedicantem feudum amittere. Scriptum eſt enim in divinis eloquiis: Miles Chriſti*

Chriſti Chriſto ſerviat: ſeculi milites ſeculo ſerviant. Nec certe ſatisfacere poſſe videtur communis iſta & plane frigida ſolutio, quam Præpoſitus circumfert, quod per ſubſtitutum ſaltem Clericus ſerviat: quia tale quiddam poſſet videri, ac ſi furem quiſpiam excuſet, ſi per ſubſtitutum furetur. Certe quod Clerico prohibitum eſt, & ſubſtituto prohiberi intelligitur. Sed iſta curent alii: mei propoſiti non eſt quicquam, quod ſacris literis adverſari poſſit, ſcribere.

§. 46. Vidit Zaſius & agnovit, tum jus Canonicum, tum mores ſeculi a doctrina ſacrarum literarum abiiſſe, atque in hoc eis adverſari. De ſubſtituto vero, per quem Clerico ſervitia præſtare liceat, quod nonnulli & plerique omnes hodie ad temperandos canones & leges duriores afferunt, nec congruum ſatis videtur, uti notat Zaſius, nec perpetuum. Clerici enim ipſi, qui feuda accipiebant, juramentum fidelitatis præſtare tenebantur, uti docet Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 8. cap. 19. & 21.* nec videtur tum ſubſtitutus admiſſus. Juramenti enim formula non de ſubſtituto concepta erat, ſed de ipſo Vaſallo, qui feudum accipiebat. In antiqua collectione III. apud Antonium Auguſtinum *c. 1. de ord. cognit.* refertur Abbatem de Ferentino Nobilibus quibuſdam Viris præſtito juramento promiſiſſe, *quod eos contra omnes homines, exceptis Rom. Pontifice & Imperatore, ac Legatis ipſorum ad retinendum, quod tunc habebant in caſtris, villis & bonis aliis & recuperandum ſine fraude & malo ingenio; ſi eorum aliquid amitterent, adjuvare vellet.* Juramentum hoc fidelitatis non præſtitit ſubſtitutus, cui id alias injungendum fuiſſet, ſed ipſe Abbas, & quidem de integritate animi ſui, quod ſine fraude & malo ingenio aſſiſtere velit; quod præſtare non poteſt, ſi per ſubſtitutum ſerviat, cum de ejus fide nunquam adeo certus eſſe queat. Et certe recentius inventum eſt, a primæva

feudi natura multum recedens, quod per ſubſtitutum ſervire liceat. Nec proinde contradicentes nos habet Hadrianus Saravia, qui *l. 2. de grad. miniſtr. Evang. cap. 17. & 18.* operoſe defendit, non repugnare conditioni Clericorum poſſeſſiones feudorum, eorum ſcil. quæ non propter militiam conceduntur. Sed omnis diſputatio vertitur in eo, utrum feuda militaria a Clericis poſſideri queant, id quod ſequioribus temporibus uſu veniſſe probabile eſt.

§. 47. Uti vero Clerici atque integræ Eccleſiæ ab aliis feuda accipere, ſic etiam dare deinceps conſveverunt. Et hinc ſc. Eccleſiæ ſuos milites nactæ ſunt, quos ſæpe refert hiſtoria ſeculi undecimi & duodecimi. Hominum enim, quos Eccleſia ad ſui præſidium habuit, tres fere inueniuntur ordines, Capitanei, milites & Caſati. *Capitanei* dicebantur, qui feudum titulatum ab Eccleſia acceperant, ut ei inſervirent; *Milites*, qui ſub Capitaneis militabant: *Caſati*, qui militibus ſubſervientes partem feudi in ſe transſcriptam poſſidebant. Atque hi omnes, ſi quando opus eſſet, ab Epiſcopis convocabantur, ut vel Reipubl. vel Religioni partes ſuas & officia impenderent. Vid. Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 3. cap. 5.* Ad hoc enim ex obligatione feudali, & vaſallagio, quod Eccleſiaſtici perinde ac principes ſeculares recipiebant, tenebantur & viciſſim principibus Eccleſiaſtici obligabantur ipſi.

§. 48. Inſignem hac de re locum ex hiſtoria Rigordi in geſtis anni XXII. Philippi Auguſti Galliarum Regis refert Fr. Juretus ad Ivonis Carnotenſis *epiſt. 28.* his verbis: *Cum omnes Barones & Epiſcopi vocati ad hunc exercitum conveniſſent apud Medontam & miſiſſent ad mandatum Regis homines ſuos prout debebant in expeditionem illam, Aurelianenſis & Altiſiodorenſis Epiſcopi cum militibus ſuis ad propria ſunt reverſi, dicentes ſe non teneri ire vel mittere in exercitum, niſi quando Rex ipſe perſonaliter proficiſcitur. Et cum nullo ad hoc privilegio*

legio ſe tueri poſſint, generali conſuetudine contra eos faciente petiit Rex, ut hoc emendarent. Ipſis autem emendare nolentibus Rex eorum regalia confiſcavit, ſcilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feudaliter tenebant, decimas & alia ſpiritualia eis in pace dimittens &c Epiſcopi illi omnes Regi ex fidelitate feudali obligati erant, & ex hac cum militibus ſuis ad Regis convocationem comparere tenebantur. Quod cum renuerent Aurelianenſis & Altiſiodorenſis, feloniæ arguebantur, & feudis, quibus a Rege inveſtiti erant, privabantur.

§. 49. Hæc ſunt illa initia, quibus excuſari cœperunt arma Epiſcoporum. Atque inde, quo maiora Eccleſiaſticis perſonis collata fuerant feuda, eo magis licitum cenſebatur bellum, quod occaſione illorum aut propter illa gerebatur. Ex eo tamen plane nova prodiit Epiſcoporum facies, a prioribus omnino diverſa, & prorſus alia. Qui enim antea in prædicatione verbi et adminiſtratione Sacramentorum occupati erant Epiſcopi, in quibus duobus præcipuum Miniſtrorum verbi officium conſiſtebat, nunc mutata ſcena officium iſtud negligebant, & ad curas ſeculares omnes animi nervos intendebant. Atque ſic anſam dederunt, ut quæreretur, utrum Epiſcoporum nomen retinere debeant, qui priſtinam Epiſcoporum curam non amplius ſuſtinent?

§. 50. Theologorum noſtrorum hæc eſt ſententia, *nec eſſe, nec eſſe velle veros Epiſcopos, ſed politicos dynaſtas & principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam adminiſtrant, nec ullum opus & officium Eccleſiæ præſtant*, uti habetur in Artic. Smalcald. *part. 3. n. 10.* Habeant enimvero illi ſuos principatus, ſua inſignia territoria, propter quæ eos ut principes reveremur, & majeſtatem eorum obſervanter colimus; ſed profecto dum Epiſcopi eſſe volunt, nec ea tamen, quæ Epiſcoporum ſunt, munia obeunt, inane hoc prorſus erit nomen, neque ſignificativum amplius ſui.

Qui nunc ſunt Epiſcopi, dicitur in Aug. Conf. *art. 7. abuſ. non faciunt Epiſcoporum officia juxta Evangelium; ſed ſint ſane Epiſcopi juxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus. Verum nos de Epiſcopo loquimur juxta Evangelium.* Conf. der Proteſtirenden Bedencken von der Reformation ap. Hortled. *part. 1. pag. 272. num. 414.*

§. 51. In hoc ſenſu accipiendum eſt, quod ſcripſit Georgius Mylius *ad dict. art. 7. A. C. part. 2. Non licuiſſe ſtatuimus ullis Epiſcopis accipere a Regibus ullum aliquod temporale dominium in Urbes & provincias, multo minus ſibi ipſis uſurpare, minime omnium bello atque armis vindicare, ſed poteſtatem illam omnem politico magiſtratui fuiſſe relinquendam. Cujus contrario facto poteſtatem quidem temporalem jure humano ab ipſis poſſideri concedimus, ſed deſiiſſe illos eſſe quod fuerant, ſtatuimus. Suſcepta enim poteſtate & dominio temporali, Eccleſiaſtico ordine ipſos excidiſſe credimus, ita ut Epiſcopale, præter nudum & inane nomen, nihil habeant, & nihilo verius Epiſcopi dicantur, quam hominis appellationem mereatur cadaver, in quo ſpiritus aut vita nihil quicquam ſupereſt* &c.

§. 52. In eandem ſententiam etiam ex pontificiis quidam inclinarunt. Claudii Eſpencæi Theologi Pariſienſis verba adduxi ſupra *c. 10. §. 15.* Sed quia & periculoſum eſt, mores ſeculi reprehendere, & ſupervacaneum atque inane, diſputare adverſus ea, quæ longis jam ſeculis recepta ſunt, filum hic abrumpo. Quod ſi quibuſdam Epiſcopis hodie regalia competunt, uti revera competunt, difficile erit eos a principibus ſecularibus diſcernere. Nec male proinde videntur aliqui diſtingvere inter Principes Epiſcopos, & Eccleſiaſticos Epiſcopos, quorum illi curam habeant rerum ſecularium, hi Eccleſiæ & animarum. Vid. Giſbert. Voët. *polit. Eccl. part. 1. l. 3. c. 2.*

§. 53. Videntur tamen etiam inter Pontificios nonnulli hoc

hoc ſtatuere, non Eccleſiaſticis tantum Epiſcopis, ſed illis etiam qui ſimul principes ſunt, & ſic duplicem perſonam gerunt, minus convenire motus & conflictus bellicos. De ipſo Pontifice Julio II. qui in obſidione Mirandolæ præſens, totius expeditionis non ſpectator tantum, ſed etiam director fuit, ſic ait Franciſcus Guicciardinus *hiſt. lib. 9. Il principio del anno unovo fece molto memorabile una coſa inaſpettata, & inaudita per tutti i ſecoli.* Et paulo poſt: *Era certamente coſa notabile, & a gli occhi degli huomini molto nuova, che il Re di Francia Prinsipe ſecolare, di eta anchora freſca, & all hora d' aſſai proſpera diſpoſitione, nutrito dalla giovanezza nell' arme, al preſente ripoſandoſi nelle camere amminiſtraſſe per Capitani una guerra fatta principalmente contra lui; & dall altra parte vedere, che il ſommo Pontefice Vicario di Chriſto in Terra, vecchio & infermo, & nutrito nelle commodita & ne' piaceri, ſi fuſſe condotto in perſona a una gverra ſuſcitata da lui coutra i Chriſtiani a campo a una terra ignobile: dove ſottoponendoſi come Capitano d' Eſſerciti alle fatiche & a' pericoli non riteneva di Ponteſice altro, che l' habito & il nome.*

§. 54. Cardinalis Guiſii expeditionem falſe perſtringit Gabriel Barthol. Gramondus *lib. 8. hiſtor. Gall. circa fin.* his verbis: *Ex purpura Romana & ſacro charactere rara in principem laus, militiam affectabat impatiens ſui; non miles, quia Cardinalis, non item Cardinalis, quia miles erat. ---- Indebitum certe characteri, quod in Engeriaca obſidione ſæpe ferrum in hoſtem ſtrinxit, immemor Eccleſiam neſcire ſanguinem. Enimvero qui purpuram contempſerat, purpuratus moritur: purpura vernaculum nomen eſt, quo exanthemata Galli appellitant. Erant, qui crederent, quo tempore exceſſit Princeps, in proximo eſſe, ut rubeum ſacri collegii pileum cum Hieroſolymitana cruce commutaret, quod vix credi poſſit, niſi quod væcordi in arma libidine agebatur &c.*

§. 55. Præ cæteris autem memorabilis eſt cenſura Cardinalis Baronii, quam de tali militiæ Clericalis genere *ad annum* DCCC LXXXVIII. his verbis proponit: *Quod autem*

deterius videri potuit, & plane monſtruoſum, illud fuit, quod tam Epiſcopi quam Abbates armati ad bella procederent, in hoſtes irruerent, cæderent ipſos & cæderentur ab ipſis. Execrandum plane diu iſtiusmodi facinus inolevit in Galliis, cujus merito accidiſſe putamus, ut externis atque civilibus bellis eædem provinciæ afflictarentur. Sed eo deterius, quod iidem etiam ab ejus temporis ſcriptoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis: cum tanquam ſacrorum Canonum violatores & muneris paſtoralis & nominis deſertores deteſtandi fuiſſent.

§. 56. Gallorum hanc conſvetudinem, quam memorat & perſtringit Baronius, ſua relatione confirmat Johannes Tilius *lib. 2. comment. de reb. Gall.* paſſim, præcipue his verbis: *Quanquam Scripturæ Sacræ armis toti Clero interdicunt, tamen Antiſtites pares Galliæ pro dignitate Parium temporaria tenentur Regibus miniſtrare & eos ſequi cum equitum ſuorum ac militum comitatu, ſi quando Reges ipſi in bellum proceſſerint: quod officium a quibusdam aliis Epiſcopis, qui Pares non ſunt, debebatur: adeo Gallia in his conditionibus rem militarem æſtimavit magni. Floardus in hiſtoria meminit Hincmari & Germani Archi-Epiſcoporum Remenſium, qui ſæpe ipſi pro Carolo Calvo & Carolo Simplice Regibus ſuas copias deduxerunt. Guilhelmus Brito in hiſtoria Philippi Auguſti Regis narrat, Bellovacenſem Epiſcopum e ſtirpe regia, fratrem Comitis Druidenſis, Parem Galliæ, qui Philippo Auguſto in prælio Pontis Bouinarum aderat, clava Guilhelmum Comitem a Longo gladio cognominatum, fratrem nothum Regis Angliæ proſtraviſſe, & Johanni Neslano Equiti imperaſſe, ut eum ſibi caperet, ſimiliterque alios complures ab eo in terram deturbatos eſſe. Sed quia homo fuit Eccleſiaſticus, rerum ab eo ſtrenue geſtarum laudes alteri quodammodo tribuuntur: & ipſe quoque clava tantum voluit dimicare, ut hoſtem deturbaret, non interimeret.* Conſvetudinem hanc Galliæ Tilius haud obſcure dicit adverſari Sacræ Scripturæ, & excuſatum inſuper vult Epiſcopum Belluacenſem, quod non aliis armis, ſed clava tantum dimicauerit; ac ſi minus dedeceret Epiſcopum clava, quam gladius, aut armatus ille propterea dici non deberet. Utique vero armorum appellatio non ſcuta tantum & gladios & galeas ſignificat, ſed & fuſtes & lapides *l. 41. ff. d. V. S.* & armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerunt, ſed etiam quid aliud, quod nocere poteſt.

poteſt. *l. 9. ff. de vi publ.* Et profectò vitæ ſuæ ſatis prodigus erit, qui Herculem clavatorem metuere nolit. Tantum abeſt, ut ſatisfacere hæc queant Baronio.

§. 57. Ante annos centum, & quod excurrit, ſcripſit Georgius Wicelius Ferdinandi Romanorum Imperatoris Conſiliarius libellum ſub nomine *viæ Regiæ*, in quo vitia Eccleſiæ ſuæ ſæpiſſime exagitat & acerrime reprehendit. In ſpecie cum articulum de poteſtate Eccleſiaſtica ſub manibus haberet, & Epiſcoporum ſecularem poteſtatem attenderet, neque rationem videret, qua excuſari ea commode poſſet, ſatius eſſe putauit prorſus abſtinere ab ea, quam ſub duplici perſona Eccleſiæ curam negligere. Verba ejus quanquam prolixa ſint, quia ad inſtitutum noſtrum faciunt, integra adſcribam, atque per ea ſic colophonem imponam: *Magnopere*, inquit, *probamus iſtud diſcrimen, ſicut diſcrimen ponimus inter cælum & terram. Poteſtas Eccleſiaſtica de cælo eſt, at politica de terra, utramque vero in uno eodemque homine conjungi poſſe, diſputent alii, qui ſolent objicere de gemino diſpari.*

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur.

Verum diſputetur ad vivum inveſtigandæ veritatis ergo: utrum idem exiſtere poſſit Paſtor ſpiritualis, & miles plus quam carnalis? Ac jurene geſtet altera manu pedum pontificale ſeu Epiſcopale, & ſimul altera enſem cruentum, galeam thoracemque Martialem? Verum hæc ſacra non aliter conſtant: tanto difficilius eſt, contra tractum fluminis niti, & cum ſuo depugnare ſeculo. Alioqui enim provocari poterat ad Eccleſiæ principia, quando tam Pontifices quam Epiſcopi uni vacabant poteſtati Eccleſiaſticæ, in timore & tremore Dominum ſuum audientes nimirum, VOS NON SIC. Quin & cum Bernhardo quæri poterat: Sicne fecit Petrus? Sicne Paulus? Talia geſtavit arma Linus? Talem zonam Clemens? & Epiſcopi Dionyſius, Ignatius, Auguſtinus, Ambroſius, & infiniti horum ſimiles? Sed eſto, ait Bernhardus, *alius, & alii hominum mores & tempora periculoſa non inſtant jam, ſed exſtant. Hæc Bernhardus. Attamen nihilo ſegnius fatendum id, quod res eſt. Nimirum Pontifices, Epiſcopos, Patriarchas, Cardinales, primam omnium curam ac operam impendere oportet in ea, quæ ſolius Dei ſunt, memores Paulini mandati, quando inquit: dicite Archippo, vide*

mini-

miniſterium (diaconium) quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.-- Quod munus proprie ſuum, ſi ſincere obierint vel biennium, ſenſim, crede mihi, nauſeabunt ad ſecularia. Semel ſtatuant poteſtatem Eccleſiaſticam, qua Epiſcopi ſunt omnino excellere, & longe inferiorem eſſe poteſtatem, qua principes ſunt. Quod cum ſit irrefragabile atque immotum, tamen gaudeant adire tantum Principes & propemodum pudet Epiſcopos dici.

Imo illorum aula non ſuſtinet patienter audire, ſi quis roget, ubi Rev. Epiſcopus ſit: præciſe dicendum eſt, ubi reperiam meum glorioſisſimum Dominum & Principem: ſin ſecus, ad ſuſpicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forſan cauſa eſt, quod malint eſſe reipſa Principes, quam Epiſcopi, & propenſiores ſint ad Principatum quam Epiſcopatum. Si qui tales exiſtunt, ipſi conſtituunt ſemet Epiſcopi nomine ultra modum indignos: Sed hoc pacto non ſubterfugient iram venturam. Porro quandoquidem uſus, mosque publicus obtinuit, ſicut ſupra diximus: ut videlicet Pontifices & Epiſcopi utraque ſimul poteſtate fungantur, etiam atque etiam contemplandum eſt, ne, dum alteri incumbunt, alterum negligant. Quod ſi eligendum eſt melius, multo ſatius eſt, Eccleſiæ curis operisque incumbere Pontifices ac Epiſcopos, quam Politicis vacare cauſis, & mundi hujus implicari negotiis. Hoc enim alieni officii eſt: illud vero proprii, quemadmodum ſæpe dixi. Quod ſi Cæſar Romanus totumque Imperium ſinceris animis ſuper ea re conſultaret ac diſpiceret: an utrumque, an vero alterutrum Chriſtianiſſimo conducibilius foret: haud equidem arbitror, Epiſcopos ipſos hanc deliberationem improbaturos. Omnino prius habeant religioſi prælati, ut Eccleſiæ Chriſti bene præſint, juxta legem Domini, quam ut aulæ ſuæ proſpiciant, & ſeculo caduco ſerviant. Prima cura Chriſto, proxima Eccleſiæ, ultima, ſi ita libet, ditioni debetur. Addam liberius: ſi conſtaret, poteſtatem Epiſcoporum & Pontificiam Eccleſiaſticam aut præpediri, aut diminui, aut labefactari, aut evacuari, per poteſtatem politicam, quam ſimul exercent Jure humano, præſtabat alteram (videlicet hanc) potius deponere, quam huius oneri alteri male præeſſe, cui primas partes tribui oportuit, & quæ ut bene adminiſtraretur, totum requirit hominem, non diviſum ipſum.

Adhortamur ideo per miſerationes Dei, non præcipimus, primum Pontificem ipſum maximum Epiſcopum Epiſcoporum: deinde Epiſcopos reliquos, præſertim per Germaniam noſtram: ut poteſtatem, quam acceperunt a Domino, non ad demonſtrationem, ſed ad ædificationem Eccleſiæ, eo videlicet conferant, ac ſolam exerceant, miſſo interim gladio in vaginam ſuam, & politicam politicis hominibus adminiſtrandam tradant. CA-

CASPARIS ZIEGLERI
EXERCITATIO CANONICA,
DE
TONSURA
CLERICORUM.

Digitized by Google

IN NOMINE DOMINI!

I.

INter eos, qui curam corporis habuerunt magis, quam ut animus excoleretur, apud plerasque omnes gentes cultiores ſemper eminuerunt illi, quibus hoc præcipue penſi fuit ut caput & capillitium ſummo cum artificio compoſitum extaret. Et ſunt etiamnum inter ipſos noſtos Germanos haud pauci, quibus nullum nefas grandius exiſtimari ſolet, quam perpeti, ut in coma vel barba pilus unus cæteris altior excreſcat, nec ſtatim novacula revocare, quod petulantius ſeſe profuderit. Tantum ſcil. abire a maiorum moribus hodie ſolet delicata juventus, otio ac mollitiis pene ultra fœminam fluens, ſuæ necquicquam ſtudens dignitati aut virtuti. Salſe eos perſtringit, neque pro ocioſis habere debere docet Seneca *de brevit. vit. c. 12.* Quid *illos ocioſos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, ſi quid*

 pro-

proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo iraſcuntur, ſi tonſor paulo negligentior fuit tanquam vivum tonderet. Quomodo excandeſcunt, ſi quid ex juba ſua deciſum eſt? ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia ſua in annulos ſuos reciderunt. Quis eſt iſtorum, qui non malit Remp. ſuam turbari, quam comam? qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quam de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior? Hos tu otioſos vocas, inter pectinem ſpeculumque occupatos &c.

II. Et ne putes, inter gentiles tantum, dum Senecam audis, vitium id invaluiſſe, etiam apud Chriſtianos, non primos illos quidem, & Senecæ coævos, qui toti ab omnibus delitiis alieni fuerunt, ſed ſequioris ætatis progeniem idem illud obtinuiſſe, fidem faciunt tot canones in eam rem ſcripti. Synodus Quiniſexta in Trullo habita exeunte ſeculo ſeptimo ſub *num. 96.* hunc edidit canonem: *Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detrimentum ſcite excogitatis nexibus adornant & componunt, & infirmis animis eſcam ea ratione objiciunt, conuenienti ſupplicio paterne curamus, ipſos inſtituentes & temperanter vivere docentes, ut relicta fraude & uanitate, quæ ex ſordibus mundanis oritur, ad interitus expertem beatamque vitam mentem aſſidue traducant. &c.*

III. Non erit extra ſcopum, ſi adſcribamus ea, quæ ad iſtum canonem commentatur Johannes Zonaras ſeculo duodecimo, prolixa ea quidem aliquantum, noſtris tamen moribus valde congruentia, quæ ſic habent: *Nihil aliud, ut uidetur, in ornatu comarum eo tempore peccabatur. Nihil eorum ſcil. quæ noſtris temporibus in capillo tingendo, fingendoque homines elaborant, qui quidem omne ſtudium eo conferunt,*

ut

ut comam alant, ac cincinnorum fimbrias, fœminarum ritu, ſi fieri poſſit, ad Zonam usque demittant. In quo non ſolum illi nimium de non tondendo capillo ſolliciti ſunt, ſed etiam, præterquam quod ferramenti omne genus a capite amovent, omnia præterea comæ nutriendæ aut augendæ medicamenta ſtudioſe nimis atque accurate conquirunt. Fingunt ſibi exinde crines calamiſtro, quo criſpi fiant, intorquentes; tingunt quoque ut flaveſcant, & auri ſpeciem referant. Alii aqua madefactos in ſole explicant, eiusque radiis torrere patiuntur, ut ater inde capillorum color immutetur. Sunt etiam, qui mentitam cæſariem, nativo ac ingenito crine abraſo induunt. Atque hæc quidem hoc tempore in componendo, ornandoque capillo a plurimis uſurpantur. Contra vero omnia, quod ad barbam attinet, fieri conſvevere. Quibus etenim juvenilis ille floſculus primum innaſcitur, illum ſubito ne in lanuginem excreſcat, ſed ipſorum in facile levitas oberret, ſintque mulierum inſtar teneri ac molles, abradi jubent. &c. Seqvuntur plura, quibus ſeculi noſtri mores graviter perſtringuntur. Quod vero de mentita cæſarie ait, facile exinde pateſcit, capillitium iſtud adſcititium, quod hodie tam frequens in uſu eſt, jam illo tempore cognitum fuiſſe, imo vero multo antiquior Lucianus *in Alexandr.* ejus facit mentionem.

IV. Hæc tam anxia & inepte ſollicita capillorum cura ideo reprehenſa fuit a ſanctis Patribus, quod ea minus deceat hominem Chriſtianum omnis vanitatis & delitiarum mundanarum contemptorem, imo vero, quod ipſa natura doceat, dedecori eſſe Viro, ſi comam nutriat, uti argumentatur Paulus *1. Cor. XI. 14.* Vtve deteſtabilem magis capillorum iſtum cultum facerent, ſoliti fuerunt quandoque promiſſam & prolixam comam ſignum aut ſymbolum dicere exuberantium criminum. Sic enim Iſidorus apud Rhabanum Maurum *in epiſt. ad Heribaldum:*

Hi qui pœnitentiam gerunt, capillos & barbam nutriant, ut demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, ſicut ſcriptum eſt: Et crinibus peccatorum ſuorum unusquisque conſtringitur.

V. Cumque hoc Pauli monitum generale ſit, ad omnes omnino virilis ſexus homines directum, facile hinc colligi poteſt, ab illis, qui Eccleſiæ miniſterio addicti ſunt, præ cæteris id obſervari debere, adeo quidem, ut ſi penes Laicos contraria invaluerit conſuetudo, Clericos tamen veteri exemplo atque inſtituto inſiſtere quam maxime oporteat. Nec enim decet eos, qvi circa ſacra verſantur, qvosvis Laicorum mores imitari, & vitam eorum atque conſvetudines exprimere. Id quod noſtris *quibusdam paſtoribus an ſtratiotis, inculcandum erat*, (ſunt verba Andreæ Kunadi Theologi olim in hac Academia bene meriti *diſp. 2. de Relig. Conſtantini pag. 72.*) qui ſe *ſatis ad officium Eccleſiaſticum inſtructos eſſe exiſtimant, ſi bene comati velut Meduſæo capite Ruſticis terribiles appareant.* Plane ſi paulatim hæc conſvetudo ſerpere ac prodire cœperit, & progreſſu temporis ita firmata fuerit, ut hominem exuiſſe videatur, qui contra populi ſtudium ſtare, & impugnare quaſi patriam moribus ſuis velit, non erit vitio vertendum Clericis, ſi & ipſi recipiant, quod declinari & evitari amplius non poteſt, dum tamen moderate, neque extra verecundiæ fines ſeculo utantur.

VI. Nec vero ſubſtitit intra ſuos terminos Clericorum, quam ſibi ſpecialem eſſe voluerunt, religio, ſed uti omnium ubique rerum principia parva ſunt, ſuis progreſſibus & uſu augentur: ita illi, poſtquam pari cum reliquis viris honeſtis capillamento uſi fuiſſent aliquandiu, ut ne omnino comam ſe alere aut nutrire dicerentur, ſingularem plane, nec Laicis communem, inuenerunt, & propriam

priam ſibi fecerunt tondendi rationem. Nec iſta tamen eodem modo ſemper ſe habuit, ſed, uti infra plenius dicendum erit, varie ac ſæpe immutata ejus fuit forma. Nec fuit etiam ejus ab initio aſſerta tanta neceſſitas, ut clericalem ordinem ſuſtinere nequeat, niſi tonſus. In his enim rebus, quæ ex mero hominum arbitrio pendent, admodum prudenter ſe geſſit Eccleſia prima, ne laqueum conſcientiis injiceret, & externis ceremoniis cultum divinum obfuſcaret. Nos, quid de hac Clericorum tonſura ſtatui communiter ſoleat, quidve de ea ſentiendam ſit, ſummotenus ore delibabimus, & brevi hac commentatiuncula evolvemus.

VII. Apollinaris Sidonius *lib. 4. epiſt. 24.* deſcribit Maximum palatinum ſacerdotio nuper initiatum, & moribus & habitu a ſe, ut erat olim, longe differentem. Inter alia refert, coma brevi & barba prolixa eum ſibi occurriſſe. *Cum ſurgeremus*, inquit, *clam percontor adſtantes, quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus: monachum ageret, an clericum, pœnitentemve? dixerunt, nuper impacto ſacerdotio fungi, quo recuſantem factioſe ligaſſet civicus amor.* Non dubitaſſet Sidonius de ſtatu Maximi, niſi eadem omnibus tum temporis & monachis, & clericis, & pœnitentibus fuiſſet comæ & barbæ forma, quam tamen in Galliis ſaltem ita obtinuiſſe probabile eſt. Alibi enim ad cutem usque adtonſos fuiſſe, qui monaſticam vitam profitebantur, Juliani Imperatoris affecta docet religio apud Socratem *lib. 3. cap. 1.* Vid Anton. Dadin. Alteſerra *aſcet. lib. 5. cap. 21.* De pœnitentibus certum eſt, & ipſos tonſos fuiſſe aliquando, uti patet ex Synodi Agathenſis *can. 15.* & Synodi Toletanæ III. *can. 12.*

VIII. Monachalem autem tonſuram privilegium id non conferre, ut vel Lectoris ſaltem in Eccleſia munus ſuſti-

ſuſtinere queat, qui ita tonſus eſt, niſi aliud quid acceſſerit, notat Theodorus Balſamon *ad can. 33.* Synodi Quiniſextæ Trullanæ. Lectoris enim munus inter ordines referre placuit ſequioris Eccleſiæ Doctoribus, qui non niſi a Clericis expediri poſſent. Cumque adeo monachi extra clerum eſſent olim, & Laicorum fere jure cenſerentur, indecorum viſum fuit, tale aliquod clericale munus eis committere præſertim cum tota eorum vita perpetua eſſet pœnitentiæ profeſſio, pœnitentes autem & lugentes, quaſi criminum rei ordinari non poſſent. Franc. de Roye *inſtitut. jur. Can. lib. 1. tit. 20.* Qua ratione prohibitum fuit in Concilio, quod Conſtantinopoli in templo Sapientiæ convenit, *can. 2.* ut ſi quis *Epiſcopus, uel aliquis alius ex pontificiali dignitate voluerit ad vitam monaſticam deſcendere, & pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antiſtitis partes obiret.* Sed de hac monachorum tonſura, quæ tantis encomiis ornari ſolet a nonnullis, ut magni & angelici habitus amictus dicatur, notante Balſamone *ibid.* nulla nunc cura eſt, uti nec de tonſura pœnitentium. Potius eſt, ut Clericalis tonſuræ intueamur rationes.

IX. Qua ætate tonſura iſta cœperit, dicere vix licebit. Aniceti enim Pontificis Romani epiſtolam, quam in partes vocat Gratianus *c. prohibite diſt. 23.* νοθείας vitio laborare, oſtendit David Blondellus *in Pſeudo Iſidor pag. 201.* Qui ex conciliis antiquioribus produci ſolent canones, Carthaginienſis IV, *c. 44.* Agathenſis *c. 20.* nihil aliud docent, quam Clericos comam nutrire non debere, plane ad mentem Pauli Apoſtoli, qui in genere Viris hanc regulam præſcripſit. Turpe enim eſſet, & indecore facerent verbi divini miniſtri, ſi omitterent id, quod omnes viri modeſti facere tenentur. Et hinc quidem Apoſtolos coma brevi uſos fuiſſe colligere licet, ſingulari autem & Cle-

Clericis propria tonſura miniſterium ſuum inſigniviſſe, & in tali tonſura myſterium aliquod ſtatuiſſe nullibi legimus. Quin imo ex Benedicti Paullini Petrocorii *de vit. B. Martini lib. 2. verſ.* 46. optime colligit Caſpar Barthius *in comment.* non fuiſſe ea ætate (vixit autem Paullinus ſeculo V.) moris, quod poſtea factum eſt, ut ſacerdotalibus honoribus invehendi comam deponerent. Verba Paullini hæc ſunt:

Quosdam etiam perhibent, nefas eſt quod credere, docta
Mente ſacerdotes ſimilem traxiſſe furorem,
Ridentes gaudenda ſibi, quod nulla verendam
Gratia compſiſſet faciem, quod crine reciſo
Proferret totum Domini frons libera ſignum.

Veteribus enim Chriſtianis curæ fuiſſe, ut formoſi, & quibus oris eſſet quædam dignitas, inaugurarentur potius ſacerdotio, quam deformes, notat Franciſcus Juretus *ibid.*

X. Videtur tamen non multo poſt, in Hiſpania præſertim, invaluiſſe, ut tonſura iſta pro ceremonia haberetur ordinationis. Huc enim, ni fallor, pertinet capitulum I. Concilii Toletani II. celebrati anno DXXXI. *De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi, vel miniſterio electorum* (h. e. clericorum. Sic enim hoc vocabulum explicandum eſt *ex c. duo ſunt 12. q. 1.*) *contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia a præpoſito ſibi, debeant erudiri &c.* Et quo remotior deinde ab Apoſtolorum ætate fuit Eccleſia, eo magis in ſuperſtitionem, & effictam religionis ſpeciem prolapſa eſt. Vix enim integrum ſeculum exactum fuit, cum in Concilio Toletano IV. *ſub num 40.* tale prodiit decretum: *Omnes clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & ſacerdotes detonſo ſuperius capite toto, in-*

ferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut Laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo hoc ſignum dedecoris auferatur, qui ſecus fecerit, fidei catholicæ reus erit. h. e. habebitur pro tali, qui fidei Chriſtianæ articulum corruperit aut impugnaverit.

XI. Quod ex Ammiani Marcellini Scriptoris Ethnici *libro 22.* adducunt de Diodoro quodam, quod, dum ædificandæ præeſſet Eccleſiæ, cirros puerorum licentius detonderit, indeque antiquitatem tonſuræ clericalis probari poſſe contendunt, parum facit ad rem, neque tale quid intelligi ibidem debere, aut poſſe, agnoſcit Hadrianus Valeſius *ibid.* cum Diodorus, de quo illic ſermo eſt, Comes dicatur non Epiſcopus. Accedit, quod ad decorum cultum id pertinere exiſtimaverit Diodorus, & hinc gentilem fuiſſe conſtet. Vid. Rivet. *in Cathol. orthodox. qu. 26.* Magis huc ſpectat teſtimonium Hieronymi, ſi modo ejus eſt, cum non ſit ad manus iſte ejus libellus, adductum a Gratiano *d. c. duo ſunt 12. qu. 1.* id enim oſtendit, ſeculo jam quarto coronam clericorum fuiſſe in uſu; ſed bene eſt, quod eam haberi dicit ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ. Nec ergo ab Apoſtolis ea ſuam ducet originem, uti plerique hodie volunt, niſi Apoſtolicam traditionem, quam jactitant; ita interpretentur, ut non præciſe ab Apoſtolis eam proveniſſe ſtatuant, ſed quod Apoſtolis tribuatur ſæpe, cujus ignoratur origo. Andr. Rivet. *in Cathol. Orth tr. 2. q. 10. §. 1.* Joh. Dallæus *de jejun. lib. 3. c. 2. p. 393.* Conferri autem cum adductis Hieronymi verbis debet alia ejusdem Hieronymi ſententia *ad Ezech. XLIV, 20.* dum ait: *Calvitium novacula non eſt faciendum, nec ita ad preſſum ton-*

tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capilli demittendi, ut operta ſit cutis. Quæ, ut ipſius Ezechielis, verba hoc volunt, modum ac decorum eſſe obſervandum, nec tonſuram in raſuram eſſe vertendam.

XII. Quemadmodum autem omne fere jus Eccleſiaſticum mos aut conſvetudo induxit primum, & conſtitutio deinceps confirmavit: ita mihi dubium non eſt, moribus primum, & ſenſim quidem, invaluiſſe ſpecialem aliquam Clericorum tonſuram, eamque deinceps conciliorum decretis roboratam fuiſſe. Quia enim præ cæteris illos modeſtiæ ſtudioſos eſſe oportebat, certe, ut præ ſe ferrent inſignem pietatis ſpeciem, ipſa officii ratio exigebat, creditum fuit, nec fruſtra quidem, etiam in habitu & externa corporis forma præcipuum quid haberi & obtineri debere, ut vel hac ratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ cuſtodes, & reverendos verbi divini præcones venditare ſe poſſent. Et hinc vero variæ ejus ritus interpretationes excogitari cœperunt, ut non ſine ratione introductum eum quis exiſtimet. Nempe, uti ſervi olim, ſimulac manumiſſi eſſent, radebantur & comam deponebant in ſignum libertatis, ut nullæ ſordidi aut ſervilis ſtatus reliquiæ ſupereſſent in eo: ita Clerici per tonſuram denotare voluerunt, ſervire quidem ſe DEO, ſed hoc ſervire regnare eſſe, & hinc liberatos ſe eſſe ex ſervitute mundi, nec curis & ſollicitudinibus vitæ præſentis ſe amplius teneri. Uti porro faſtus & ſuperbiæ indicium eſſe ſolet promiſſa cæſaries, ita declarare volunt illi, ſe ab omni ſuperbia alienos eſſe ſuoque & exemplo & doctrina humilitatem profiteri.

XIII. Nec vero improbari poſſent ſymbolica iſta argumenta, qualia plura collegit Sixtus Senenſis *biblioth. lib. 5. annot. 244.* Renatus a Valle *in Hipparcho num. 79. ſeq.*

niſi maxima cultus divini pars, & tantum non præcipiuum Chriſtianæ religionis fundamentum, ſaltem quod miniſterium Eccleſiaſticum attinet, in tali tonſura poneretur. Admitti enim omnino nequit, quod Canoniſtæ & Doctores in latina Eccleſia plerique omnes ſuam illam tonſuram & coronam clericalem ſub neceſſitate quadam peremptoria & quidem religionis cauſa obtruſam cupiunt, acſi nemini etiam legitime vocato ſacra facere liceat, niſi in circulum detonſo, & ſingulari hoc charactere notato. Quibus merito opponi poteſt illud, quo Optatus Milevitanus *lib. 2. adverſus Parmenianum* alloquitur Donatiſtas: *Docete*, inquit, *ubi vobis mandatum eſt radere capita ſacerdotum, cum e contrario ſint tot exempla propoſita, fieri non debere.* At enim ſolenne hoc eſt Eccleſiæ Latinæ, ut certos præſcribat ritus, ineptos quandoque & pene pueriles, ſub opinione vel cultus, vel neceſſitatis intrinſecæ acſi eſſent media promerendi gratiam, aliosque effectus ſpirituales producendi.

XIV. Qui ad Apoſtolos provocant, quo ſe vertant neſciunt. Nec enim probabunt unquam, vel attonſos eos omnes ſub certo charactere fuiſſe, vel uniformem omnibus placuiſſe comam. Ceolfredus Abbas ab Naitano Rege Pictorum, qui ſeptentrionales Brittanniæ plagas inhabitant, rogatus, ut verum tonſuræ Clericis inſigniendis modum præſcribere vellet, hunc in modum reſpondit: *Scimus, quia neque Apoſtoli omnes uno eodemque ſunt modo adtonſi, neque nunc Eccleſia Catholica ſicut una fide, ſpe & charitate in DEUM conſentit, ita etiam una atque indiſſimili totum per orbem tonſuræ ſibi forma congruit.* apud Bedam *lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 22.* ubi omnibus aliis anteponendam cenſuit illam, quam in capite ſuo geſtaviſſe Petrum credidit, eamque ad formam

mam coronæ, quam in paſſione ſua ſpineam portavit in capite Servator noſter figuratam ait. *Inter omnes tamen,* inquit, *quas vel in Eccleſia, vel in univerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam nobis amplectendamque jure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait: Tu es Petrus &c. -- Neque vero ob id tantum in coronam adtondemur, quia Petrus ita adtonſus eſt, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſſionis ita adtonſus eſt, idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus &c.*

XV. Occaſionem Petro natam fuiſſe dicunt exinde: prædicaſſe eum aliquando Antiochiæ Chriſtum crucifixum magno cum ardore, nonnullos autem in Chriſtiani nominis ignominiam caput illi abraſiſſe, ſed illum ob Chriſti amorem illuſionem in gloriam, & infamiam in honorem convertendo præcepiſſe omnibus Eccleſiæ miniſtris tonſuram geſtare. Quam fabulam poſt alios refert Nicolaus Rodriguez Fermoſinus *ad c. 2. & 3. X. de offic. Archidiac. q. 2. n. 55.* Eam Germano Epiſcopo Conſtantinopolitano acceptam refert Cardinalis Baronius *ad ann. Chriſti 58. num. 125.* & quidem ſub hoc ſchemate; *quod Chriſtus Magiſter poſt eam illuſionem Petro benedixerit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam converterit, & poſuerit ſuper caput ejus coronam non ex lapidibus pretioſis, ſed lapide & petra fidei ejus fulgeſcentem ſuper aurum & topazium & lapides pretioſos.* Fatetur autem Baronius, ignorari, unde id acceperit Germanus, credendum tamen eſſe, ex majorum traditione id edoctum fuiſſe. At enim recentior & ſeculi octavi ſcriptor eſt Germanus ille, & præterea Græcus, h. e. fabularum architectus. Nec ſatis ipſa cohæret relatio. Quomodo enim benedici ei potuit

tuit a Salvatore Chriſto, tum temporis, cum miſſus ille eſſet, non verſante amplius in terris? Sed & reliqui omnes, qui tonſuræ ritum & characterem Petro adſcribunt, vel recentiores ſunt, vel fidei ſubleſtæ, & parum ſibi conſtantes.

XVI. Uti vero Romani, & cum illis facientes Eccleſiæ occidentales, a Petro tonſuræ ſuæ modum ſe accepiſſe gloriabantur: ita e diverſo ſuum, qui & ipſe diverſus plane erat, Apoſtolo Paulo adſcribebant Orientales. Uterque tam ſuperſtitioſe obſervabatur ab utrisque gentibus, ut ordinari non poſſet in Eccleſiis Occidentalibus, qui in Orientalibus tonſuram accepiſſet, niſi poſt aliquod temporis ſpacium, quo & creſcere iterum coma, & tonderi deinceps Romanorum more poſſet. Exemplum refert Beda *lib. 4. hiſt. c. 1.* Theodori Tharſo Ciliciæ nati, Eccleſiis Britannicis ſeculo ſeptimo deſtinati Archiepiſcopi. *Qui*, inquit, *ſubdiaconus ordinatus, quatuor expectavit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram more Orientalium ſancti Pauli Apoſtoli.* Si verum eſt, ab Apoſtolis ipſis tondendi modum inſtitutum fuiſſe mirari merito licet, cur diverſum eum eſſe voluerint illi ad eundem finem & effectum, præſertim cum in tali actione fundamentum totius hierarchiæ, ſi diis placet, poſuerint. Sed deſino tandem in origines maxime obſcuras inquirere prolixius, aut etiam cauſas ejus rei moventes examinare. Videri poterunt Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus *in Britan. Eccleſ. antiqu. pag. 921. ſeq.* Joh. Bapt. Caſal. *de vet. Chriſtian. ritib. cap. 49.* Sixt. Senenſ. *biblioth. lib. 5. annot. 244.*

XVII. Ex jure canonico noviore promptiſſima characteris iſtius ratio movens mihi videtur eſſe iſta, ut per certam aliquam notam data quaſi teſſera conſtare poſſet

de

de illis, qui cives & membra eſſent regentia Reip. Eccleſiaſticæ. [illegible]ia enim avulſa eſt a Pontificibus Romanis Reſpublica illa a Republica civili, ita, ut nihil omnino juris hinc in illam competat amplius, uti quidem enormem iſtam exceptionem tuentur hactenus, factum hinc eſt, ut tonſura iſta, quæ humilitatis & modeſtiæ indicium eſſe olim debuit, degeneraverit in ſignum eminentiæ & tale quidem, quod longe præſtare faciat minimum diaconum Regibus ac principibus, uti nugatur Card. Baronius *ad ann. 57. num. 31.* Quia igitur hac ratione Reſpublica eſt in Republica, ſtatus in ſtatu, civitas in civitate, character iſte per tonſuram impreſſus alterius Reip. cives diſcernere cœpit, quos antea poteſtati civili ſubjectos eſſe debere & Apoſtolus docet *Rom. XIII, 1.* & ad eum Johannes Chryſoſtomus. Atque iſta characteris talis impreſſio tam neceſſaria habita fuit aliquando, ut anathema diceretur illi, qui ex Clericis comam relaxaverit. *c. ſiquis 4. X. de vit. & honeſt. cler.* Unde & judex ſecularis, ſi ut Laicus quis captus fuerit, & is inveniatur tonſuratus, retinere eum in carcere nequit, ſed ablegare debet ad judicem Eccleſiaſticum. Acac. Anton. de Ripoll. *var. reſolut. cap. 1. num. 517.* Ant. Gomez *reſolut. tom. 3. c. 10. n. 3.*

XVIII. Hanc clericorum tonſuram Græci παπαλήθραν vocarunt, uti patet ex commentario Theodori Balſamonis *ad can. 21. concilii ſexti in Trullo :* Minores enim clerici Græcis πάπαι dicti, uti notat Theodorus Balſamon ad Photii *nomocan. lib. 1. cap. 34.* ex novella Iſaaci Comneni, & hinc minorem clericorum beneficia atque reditus, papatus, vocati. Franc. Boſquet *ad Innoc. III. epiſt. 60. lib. 3.* Latini coronam, dicunt, quod multis teſtimoniis confirmat Carolus du Freſne *in Gloſſar.* Jacob Sirmundus *ad Apollinar. Sidon. lib. 6. epiſt. 3.* Jacob Gothofredus *ad l. 38. Cod. Theod. de Epiſc.* Nec tamen aſſerere velim, coronæ vocabu-

bulum, ut maxime de Ecceſiaſticis perſonis ſermo ſit, ſemper iſtiusmodi tonſuram denotare, ſed videtur magis dignitatem ſacerdotalem aliquando exprimere velle. Sic enim explicari multo commodius poterit, ſi quando adjuratio per coronam facta fuerit. Auguſtinus *epiſt. 147. ad Proculianum Epiſcopum :* Honorant *nos veſtri : honorant vos noſtri : per coronam noſtram nos adjurant veſtri, per coronam veſtram vos adjurant noſtri.* Hinc adeo Lorinus Jeſuita de hoc titulo, corona veſtra, diſſerens, dum obſeruat, eum Epiſcopis, non nudis ſacerdotibus datum fuiſſe, poſt diuturnam ventilationem his verbis concludit: *Sed cum ſolis Epiſcopis, qui ſacerdotum nomine aliquando intelliguntur, videatur tribui dicta coronæ nomenclatura, fortaſſe per coronam intelligitur auguſtus ille capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Epiſcoporum.* Vid. Andr. Rivetus *Cath. Orthod. tr. 2. q. 23.*

XIX. Coronam hanc & tonſuram primitias vocat clericatus Petrus Abbas Cellenſis *lib 7. epiſt. 16.* Præ cæteris *hoc unum ad præſens poſtulat, ut de manu veſtra primitias clericatus, i. e. coronam accipiat.* Dicunt enim eam eſſe januam ſequentium ordinum, quos fingunt, adeo, ut ſi quis ea neglecta ad alios ſe promoveri curaverit, aut paſſus fuerit, furtive & quaſi per ſaltum promotus dicatur, non per oſtium ſed poſticum in ovile ingreſſus. Anton. Bengeus & Franc. Pinſſon. *de benefic. ad vocab. idoneo §. 1. n. 3.* Per primam enim tonſuram, qui tonſuratur, in album Clericorum adſcribitur & fit capax beneficii Eccleſiaſtici, *c. ex literis 6. X. de transact.*

XX. Inde vero multa ſemper diſputatio fuit, utrum inter ordines referri debeat prima tonſura, an minus? diſſentientibus inter ſe Theologis & Canoniſtis. Eaque ipſa controverſia etiam in Concilio Tridentino materiam diſpu-

ſputationis præbuit, uti refert Petrus Svavis *in hiſt. Conc. Trid. lib. 2.* Certe ſi verum eſt, quod proterve ſibi concedi cupiunt utriſque partis Doctores, Pontificem Romanum infallibilem eſſe, nec errare poſſe, res deciſa jam videtur ab Innocentio III. *in c. cum contingat 11. X. de ætat. & qual. præfic.* ubi dicit: *per primam tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam a talibus Clericalis ordo confertur.* Nihilominus tamen acriter adhuc ea de re contenditur in Eccleſia Latina, uti videre licet apud Nicolaum Rodriguez Fermoſin *ad. tit. de temp. ordin. q. 3. & ad tit. de æt. & qual. ordin. c. 6.* Nic. Garciam *de benefic. part. 7. cap. 1.* Roderic. Svarez *quæſt. de majoricat. n. 34.* Auguſtin Barboſ. *de jure Eccleſ. lib. 1. c. 38. n. 45. ſeq.* Antonin. Dian. *part. 10 tr. 14. reſolut. 14.* Didac. Covarruv. *de teſtam. c. 9. n. 4.* Qui conciliare diſſentientes iſtas ſententias cupiunt, diſtinctionem faciunt, utrum conſiderentur ordines, prout ſunt diſtinctiones deſcriptionis miniſteriorum Eccleſiaſticorum, vel prout ſunt ſacramenti aut characteris participes. Characterem autem dicunt eſſe potentiam quandam ſupernaturalem, quam Deus animæ imprimit mediante Sacramento. Petr. de Ledeſma *in Theol. moral. de Sacrament. in genere cap. 5.* Secundum priorem conſiderationem primam tonſuram referunt inter ordines, non vero ſecundum poſteriorem. Petr. Gregor. *de benefic. c. 36. n. 6.* Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

XXI. Illud vero inter requiſita coronæ clericalis fere primum & præcipuum eſt, ut a proprio conferatur Epiſcopo. *c. fin. de temp. ordin. in 6.* Referunt enim eam inter illa, quæ ſunt juriſdictionis, quæ non niſi in ſubditos exerceri poteſt. Poſſe tamen etiam ab alieno Epiſcopo eam conferri, ſi tonſurandus ſecum ferat literas ſyſtaticas ſive commendatitias a proprio Epiſcopo ſcriptas tenent Antoni-

Q

tonius Bengeus & Franc. Pinſonius *d. l. n.9.* Quod ſi tales literæ non fuerint exhibitæ, parum abeſt, quin omnino nullam dicant tonſuram, eo quod taliter tonſus non habeat ordinis executionem. Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 1678.* Nic. Rodriguez Fermoſin *ad tit. de temp. ord. q. 11. n. 13.* Carol. Anton. Theſaur. *de pœn. eccleſ. part. 2. c. 16.* Card. Seraphin *deciſ. 741.* Imo vero etiam presbyteris licuiſſe conferre primam tonſuram, colligi poteſt ex eo, quod eisdem jus fuit ordinandi pſalmiſtam ſive cantorem, *c. pſalmiſta diſt 23.* Anton. Dadin. Alteſerra *ad c. cum contingat 11. X. de ætat. & qual. ord.* niſi quis cum Franciſco Duareno *lib. 1. de ſacr. Eccleſ. miniſter. c. 14.* dubitare velit, utrum pſalmiſtæ ſpecialem ordinem fecerint in veteri Eccleſia. Nec eſt tamen, cur presbyteris poteſtatem iſtam adimere tentemus, cum *c. quoniam diſt. 69.* abbatibus ea tribuatur, non qua talibus, ſed qua presbyteri fuerint, ut adeo ad presbyteri officium id ſpectet. Sed enim eſſe abbates quosdam, quibus, etſi presbyteri non ſint, ex privilegio Pontificis competat jus dandi primam tonſuram, docet diploma, quo Simoni Abbati Cluniacenſi & ejus ſucceſſoribus a Papa Urbano V. iſtiusmodi poteſtas conceſſa fuit, relatum ab Andrea Quercetano *ad biblioth. Cluniac. pag. 122.* Quia autem non aliter Clericum fieri putant Canoniſtæ, niſi tonſuram is ab Epiſcopo, aut hujus vices gerente acceperit, quærerem ego, qui ſtatuere velint de Chlotoualdo, Chlodomeris Regis filio, qui ſibi manu propria capillos incidit, an putent, eum hac ratione factum clericum? id utique affirmat Gregorius Turonenſis *lib. 3. hiſt. c. 18.* ubi refert porro, presbyterum eum ab hoc mundo migraſſe. Utrum autem Epiſcopo liceat ſacra tonſura quempiam in libero ſolo Epiſcopique legibus ſoluto inſignire? ambigui juris quæſtionem eſſe cenſuerunt aliquando judicia Gallica, referente

Re-

Renato Choppino *de ſacr. polit. l. 2, tit. 7. n. 5.* Cui affinis eſt iſta, utrum id liceat in diœceſi aliena? de qua conſuli poteſt Fermoſin *d. q. 11.*

XXII. Dum circa tonſores tam reſtricti & difficiles ſunt Canoniſtæ, haud paulo liberaliores exiſtunt in admittendis illis, qui tonderi debeant. Etſi enim in Concilio Moguntino *c. 23.* decretum ſit, cavendum eſſe *ut nullus tondeatur ſine legitima ætate & ſpontanea voluntate, vel cum licentia domini ſui;* Legitimam tamen ætatem illi tam laxe interpretantur, ut etiam infantibus tonſuram conferri poſſe ſtatuant, imo nec vereantur aſſerere, etiam pueros in cunis vagientes ad ſacerdotium vel Epiſcopatum ordinari poſſe. Paul. Piaſecius *in prax. Epiſc. part. 1. cap. 1. n. 22.* ut eo magis excuſari poſſit Benedictus IX. Pontifex Romanus, quem ferme decennem a Romanis in Epiſcopum electum fuiſſe ſcribit Glaber Rodulfus *lib. 4. hiſt. cap. 5.* Conf. Claud. Eſpencæus *lib. 4. c. 2.*

XXIII. Olim vero prima tonſura non videtur collata aliis, niſi ſimul cum beneficio, aut, ut rectius dicam, cum officio Eccleſiaſtico, & ſic eo ipſo momento, quo officium collatum fuit, adeoque ceremoniam tantum fuiſſe probabile eſt. Fr. Roye *lib. 2. inſtit. can. tit. 7.* Fermoſin *ad c. 3. de ætat. & qual. ord. q. 1. n. 8.* Et tum requirebatur juſta & legitima ætas, ut muneri iſti, quod illis committebatur pares & ſufficientes eſſe poſſent. Invaluit autem deinceps, ut parentes Eccleſiæ ſuos offerrent liberos adhuc infantes, & tum placuit, etiam minores ordines, illis committi poſſe, dummodò egreſſi eſſent infantiam, quæ ſeptennio concluditur, nec aliud deinceps requiſitum ab eis fuit, niſi ut legere & ſcribere non neſciant, h. e. ut characteres tantum formare ſciant, etſi perfecte ſcribere nequeant. uti explicat Aug. Barboſa *jur. Eccleſ. lib. 1. c. 38. n. 39.*

Q 2 40.

40. & quidem in lingva tantum vernacula Thom. Sanchez. *conſil. moral. l. 7. c. 3. dub. 45. n. 10.* Sed & abſurdum deinceps viſum fuit, beneficium alicui conferri, niſi antea prima tonſura inſignitus fuerit. Sic ergo irroboravit inveteravitque conſvetudo, ut tonſura daretur vacuo ab omni munere aut beneficio, ita ut ea per ſe ſubſiſteret, nec comitem haberet ordinem alium. Anton. Bengeus & Franc. Pinſſon. *d. l. n. 8.* habilem tamen redderet, ad ordines deinceps recipiendos.

XXIV. Ætas igitur ad primam tonſuram a Canoniſtis requiſita eſt annorum ſeptem completorum, Nic. Garcia *de benefic. part. 7. c. 4. n. 6.* Thom. Sanchez *conſil. moral. lib. 7. c. 3. dub. 33. n. 11. ſeq.* quia ſcil. ante eam ætatem ſperari haud queat uſus rationis. At vero, qui ita ſentiunt, parum conſiderant, uſum illum rationis oppido eſſe imperfectum, & pleniorem intellectum requiri ad ſtatum Clericalem ſuſtinendum. Utique enim, qui ex Laicorum conditione ſe ad Clericorum collegium conferre cupit, intelligere ſecumque deliberare debet, quid agat, ne cœco impetu in tale vitæ genus ruat, cujus deinceps pœnitere queat. Sed de impuberibus in genere optime cenſuit Conſtantinus Imp. in *l. 1. C. de falſ. mon.* eos ignorare, quæ vident, quos idcirco judicio carere dixit Archid. *ad c. ex eo n. 2. X. de elect.* Injuria ergo tum clericali Ordini infertur, ſi in eorum numerum & matriculam recipiantur pueri parum intelligentes, tum ipſis etiam pueris neſcientibus adhuc, quid rerum geratur, & quibus ſe implicent compedibus.

XXV. De ratione & modo tonſuræ conferendæ nolo repetere ea, quæ ſupra ex Concilii Toletani IV. *c. 40.* recenſui. Ex quo diſcimus eam tonſuræ ſpeciem in uſu tum fuiſſe, ut capite detonſo ſuperius, inferius circuli co-

rona

rona tantum relinqueretur. Brevis autem ille orbis in vertice, quo cleri pars magna hodie utitur, inſolens olim atque inuſitatus in Eccleſia & damnatus propterea, ut hæreticorum character, in dicto concilio fuit. Nec negare poſſunt Eccleſiaſticæ tonſuræ patroni, immutatum eſſe antiquum illum ritum, ita ut hodie non amplius totum ſuperius caput detondeatur, ſed contra veteris juris inſtitutionem in vertice modicus tantum circulus auferatur. Nec radebatur coma olim, ſed attondebatur tantum forficibus, non novacula. Vid. Paulus Laymannus *theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 12.* Jacob Sirmond. *ad Apoll. Sidon. lib. 4. epiſt. 24.* Franc. Florens *ad c. 4. X. de vit. & honeſt. Cler.* Ceremonias circa primam tonſuram hodie uſitatas ex Pontificali recenſet Thomas Sanchez *conſil. moral. lib. 7. c. 1. dub. 6. n. 7.* his verbis: *Epiſcopus cum forficibus incidit ordinando extremitates capillorum in quatuor locis ſcil. in fronte, occipitio & ad utramque aurem, deinde in medio capitis tres crines capillorum ſive cincinnos, & in bacile deponit, quolibet, cum tondetur dicente: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi &c.* Conf. Pontificale Romanum *rubr. de clerico faciendo.*

XXVI. In orientali Eccleſia fuerunt aliquando, qui in collatione tonſuræ tum monachalis, tum clericalis, ad malas confugerent artes, iisque multa cum ſuperſtitione uterentur, dum ex nimio quodam imaginum cultu eas quaſi teſtes adhiberent hujus ſuæ tonſuræ, & neſcio quid ex illis divinum ſibi promitterent. In ſupplemento quod Conciliis Gallicis a Jac. Sirmondo editis ſuperaddidit Petrus Dela lande *fol. 106.* continetur epiſtola imperatorum Orientis ad Ludovicum Pium Imperatorem Occidentis, in qua hæc de tonſura referuntur uſu improbo recepta: *Similiter & in tonſura puerorum, cum capillos præciderent, eosdem*

capillos decidere ſuper imagines ſinebant. Alii vero religioſum habitum monaſticum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant, qui prius comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant adhibitis imaginibus, quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Utrobique nempe imagines id agere volebant, quod vel clericis vel monachis competebat, ut capillos decidentes auferrent.

XXVII. Cæterum non aliam debet habere intentionem, qui tonderi cupit, niſi ut ex pietate in DEUM, & ſancta devotione, atque animo Eccleſiæ inſerviendi, Clericatum accipiat, & ex hoc in clericorum numerum inſeratur. Nec enim jure canonico vel Lector vel Cantor fieri in Eccleſia poteſt, niſi qui ſacram iſtam tonſuram acceperit. Sic enim decretum in Concilio Trullano *can. 33.* ut nulli *ex omnibus eorum liceat, qui ſunt in Clericorum ordinem relati* (id enim ut corruptelam in verbis antecedentibus allegaverant iſtius Concilii patres, etiam non tonſos ſacros cantores & divini templi Lectores conſtitui) *populo in ſuggeſtu divinas ſcripturas recitare, niſi is ſacerdotali tonſura uſus fuerit, & benedictionem a ſuo paſtore canonice ſuſceperit.* Ubi ita commentatur Theodorus Balſamon: *Nota autem, quod ſimulac acceperunt aliqui tonſuræ characterem a manu antiſtitis, eos pro clericis habet canon. Audivi enim nonnullos dicentes, non eſſe Lectorem, nec dici Clericum, qui in Clerum templi non relatus eſt, ſed ſolam habet tonſuram. Et ideo ei licere in Laicalem habitum tranſmutari, quod mihi quidem non videtur.* &c. Conſequens hinc eſt ut iisdem etiam privilegiis a tempore acceptæ tonſuræ fruantur, quibus gaudent Clerici reliqui omnes. Quanquam id reſtringendum nonnulli putent ad eos primæ tonſuræ clericos, qui probam & honeſtam vivendi rationem ſectantur, ſaltem veſtes & tonſuram non dimittentes. Didacus Covarruvias *practicar. quæſt. c. 31. n. 9.*

XXVIII.

XXVIII. Qui autem, dum tonderi ſe facit, aliud intendit, quam ut miniſterio Eccleſiaſtico dignum & habilem ſe reddat, eum ipſimet tonſores, quos Eccleſia Pontificia habet, graviter reprehendunt. Hoc enim eſt, quod Clericis iſtiusmodi inculcat Ivo Carnotenſis *ſermone* 2. Nemo *adhoc debet fieri clericus, ut ſerviat voluptati, ſtudeat curioſitati, inhiet ambitioni: nec aliud quærat, niſi ut Deum hereditate, poſſideat, quem elegit, & a quo electus eſt quando in clericum aſſumptus eſt. -- Unde qui per clericatus officium aliud quærit, quam DEUM, nec a DEO electus eſt nec DEUM elegit, qui in ſorte ſua creaturam creatori aut præpoſuit, aut æquiparavit. -- Ad hoc enim capillos in modum coronæ in ſummitate capitis raditis, ut & regnum ſpirituale, quo cæteris præminetis, tali figura oſtendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, ſic amputetis de corde, ſicut crines frequenter reſurgentes abraditis de capite. Reſiduos autem capillos eo ordine præcidere debetis, ut aures, oculos & alios ſenſus capitis liberos reddant, & curam exteriorum non in ſuperfluis deſideriis carnis, ſed neceſſariis tantum exercendam agnoſcant.* &c.

XXIX. Quocirca, ſi quis alium finem tonſuræ ſibi propoſitum habeat, præter eum, quem in verbis modo adductis deſcripſit Ivo, multum aberrabit a ſcopo, nec ſuam obtinebit ſemper intentionem. De tonſura monachali quidem accipiendum videtur, quod in Concilio Cabilonenſi II. c. 7. factum fuit decretum, ſed quod ad clericalem etiam certo caſu applicari poterit. *Conſtituit ſacer iſte conventus, ut Epiſcopi ſive abbates, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali perſvaſione non ſolum acceperunt, ſed potius ſubripuerunt, pœnitentiæ canonicæ ſive regulari, ut puta turpis lucri*

cri ſectatores ſubjaceant. Hi vero, qui vanis promiſſionibus illecti uel quibuslibet machinationibus perſvaſi mentis inopes effecti, rerum ſuarum domini eſſe neſcientes, comam depoſuerint, in eo, quod cœperunt perſeverare cogantur. Res namque quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non ſolum acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, heredibus reddantur, qui dementia parentum, & avaritia incentorum exheredati eſſe noſcuntur. &c.

XXX. Conſimili modo, ſi eum in finem primam tonſuram ſibi conferri quis faciat, ut evadat judicium, & forum ſeculare evitet, vix erit, ut hoc ei prodeſſe queat. Etſi enim varie hac de quæſtione diſputetur inter Canoniſtas, uti docet Fermoſin. *ad c. 6. de æt. & qual. ord. n. 14.* rectius tamen ſentiunt illi, qui ſtatuunt, laicum delinquentem, licet poſtea clericus effectus ſit, non eximi jurisdictione judicis Laici, ſi primam tonſuram acceperit eum in finem, ut judicis Laici forum declinet. Ant. Gomez *reſolut. tom. 3. c. 10. n. 5.* Lut. Carrer. *de homicid. pag. 487. n. 49.* Joh. Bapt. Bajard. ad Jul. Clar. *q. 36. n. 18.* Alvar. Valaſc. *conſult. 48. n. 2.* in quam ſententiam optime facit textus in *l. 1. ff. de pœn.* Fraus vero præſumitur, ſi quis poſt delictum commiſſum & ante ordinem ſuſceptum denunciatus, accuſatus, aut etiam infamatus fuerit. Gregor. Sayr. *in clav. reg. lib. 12. c. 7. n. 9.* Valaſc. *d. l.* Did. Covarruvias *pract. quæſt. c. 32. n. 4.* Tonſuram tamen hac ratione acceptam nihilominus reverenter haberi debere, & talem clericum ante executionem ſententiæ priſtina veſte amiciendum, & tondendum, ad delendam coronam clericalem, quæ ipſi facta fuerat, deciſum aliquando in Francia refert Joh. Papon. *lib. 5. tit. 12. arreſt. 4.* Alii ſtatuunt, a Laico judice condemnari quidem hoc caſu clericum poſſe, ſed ſententiam executioni mandari debere per Eccleſiaſticum.

Capell.

Capell. Tholoſan. *quæſt. 147.* Conf. quos magno numero allegat Nicolaus Boërius *ad Conſvetud. Bituricenſ. tit. de juriſdict. §. 1. lit. f.*

XXXI. Ad eandem claſſem pertinent illi, qui ut militiam aut alia munera civilia evitent, clericatum ſuſcipiunt. Hac enim ratione clericorum privilegiis & immunitatibus uti ſe poſſe perſvaſum habebant; quemadmodum ipſe olim Romulus ſacerdotes ab officiis militaribus immunes eſſe voluit, ut notat Dion. Halicarn. *lib. 2. antiq. Rom.* quod Remp. religione tutius defendi exiſtimaret, quam armis aut gladiis. Cum vero hac ratione difficile quandoque eſſet exercitum colligere, quod nullibi non eſſent, qui militiam hac ratione declinarent, haud paulo ſaniores & prudentiores illis, qui, ne cogerentur militare, pollices ſibi amputabant, docente Card. Baronio *in martyrol. d. 2. Januar.* Ægid. Menagio *amœnit. cap. 3.* Jacob. Gothofred. *ad l. 4 C. Theod. de tyron.* in Francia hoc tandem obtinuit, ut absque Regis conſenſu nullus ordinaretur clericus. Sic enim conſtitutum legitur in capitularibus *lib. I. c. 120.* De liberis *hominibus qui ad ſervitium DEI ſe tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam poſtulent. Hoc ideo, quia audivimus, aliquos ex illis non tam cauſa devotionis, hoc feciſſe, quam pro exercitu ſeu alia functione Regali fugienda, quosdam vero cupiditatis cauſa ab his, qui res illorum concupiſcunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Nec vero tunc demum tale aliquid conſtitutum fuit, ſed imo jam ineunte ſeculo ſexto decretum in Concilio Aurelianenſi I. *can. 4.* De ordinationibus *Clericorum id obſervandum eſſe decrevimus, ut nullus ſecularium ad clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis juſſione aut cum judicis voluntate.* Formulam conceſſionis Regiæ exhibet Marculfus monachus *lib. I. num 19.* Conſtantinus ipſe noluit prava tali intentione clericatum af-

ſectari debere, & ἀποτόμως voluit, ne Decuriones ad clericatum ſeſe conferre poſſent, & ſi id factum fuiſſet, ut inde exempti civitati curiæque redderentur. *l. 3. & 6. Cod. Th. de Epiſc.* quod a Succeſſoribus tamen ad certas circumſtantias reſtrictum. Jacob. Gothofred. *ad l. 49. C. Th. de decurione.*

XXXII. Quia vero clericatum adeptum valde pinguia privilegia ſequuntur, & illud potiſſimum, quod per tonſuram exemptio ab omni ſeculari jurisdictione ſecundum placita Canoniſtarum impetretur, judicibus autem & dominis terrarum id minime expedit, quippe quibus valde moleſtum eſt, habere in ſuo territorio ſibi minime addictos, & ſic controverſia de clericatus collatione toto die moveri ſolet, ad probationes tum confugiendum erit, quæ an literis tantum teſtimonialibus, an vero teſtibus etiam expediri queant, & an ſufficiat delatio habitus, varie diſceptatur. Guid. Pap. *quæſt.* 474. Thom Grammatic. *deciſ. 81.* Acac. Anton. de Ripoll. *var. reſolut. c. 1. n. 158.* Alfonſ. Alvarez Guerrer. *de jur. ac pot. Pontif. c. 35. n. 16. 17.* Illephonſ. Perez de Lara *de anniverſ. lib. 2. c. 5. n. 4. ſeq.* Marcell. Cala *de mod. artic. num. 106. 687. & 1550.* Joh. Papon. *lib. 1. tit. 5. arreſt. 38.* Oppido placet diſtinctio, qua utitur Didacus Covarruvias *practic. quæſt. cap. 33. n. 3.* Regulariter quidem & jure ordinario clericatum probari debere per ſcripturam. (In hunc enim finem dari ſolent literæ teſtimoniales, quarum formulam exhibet liber diurnus Roman. Pontif. *c. 6. tit. 1.*) Sed diſpiciendum eſſe, utrum agatur de præjudicio alterius, uti fieri ſolet, quando lis movetur de iurisdictione iudicis ſecularis declinanda, an vero nullum tale ſubſit præjudicium, ita ut priori caſu clericatus probari debeat plene per ſcripturam, vel per duos teſtes, poſteriori caſu ſufficiat primam tonſuram probari unius teſtis teſtimonio.

XXXIII. Utque adeo privilegia integra, ſine ſtatu quæ-

quæſtione, & ab omni controverſia libera, clericis manerent, prohibitum illis fuit, ne poſt tonſuram acceptam capillos deinceps alerent. Extat apud Gratianum decretum fugitivum *c. ſi quis diſt. 23.* repetitum a Raymundo *c. ſi quis 4. X. de vit. & honeſt. cler.* quod Gregorio apud Gratianum ſimpliciter, Gregorio IX. apud Raymundum adſcribitur. Et ſunt, qui Gregorium II. ejus autorem faciunt, uti notat Antonius Auguſtinus *ad c. 3. de vit. & hon. cler. in 1. compil.* Sententia valde dura eſt, excommunicationem inferens, ſi quis contra fecerit: *Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema ſit.* Quid vero tandem in ea re magni criminis ſubeſſe poteſt? quærit Joſephus Gibalinus *de ſacra jurisd. diſq. 2. q. 2. n. 16.* & reſpondet cum Baronio, in ea comæ laxatione quandam fuiſſe apoſtaſiam a clericatu. Miſera certe religio, quæ ex capillis æſtimari debet.

XXXIV. In ſequente apud Raymundum *c. 5.* extat Concilii Carthaginienſis IV. decretum non tamen æque durum *Clericus neque comam nutriat, neque barbam.* Id vero Joſephus Gibalinus *d. l.* contra monachos latum dicit, ipſis adverſantibus verbis, quippe quæ de clerico agunt. Fuerunt autem monachi olim extra clerum. Anton. Dadin. Alteſerra *aſcetic. lib. 7. 2.* Concludit autem Gibalinus, etſi anathema in iſtis canonibus dictum fuerit, non bene tamen inde damnari hodiernos clericos, cum cauſæ ejusmodi ſeveriorum canonum non eædem ſint. Non aliter ad eundem canonem Carthaginienſem commentatur Jacobus Sirmondus *in Antirrhetic. 2. cap. 8.* Dubium moverat Petrus Aurelius circa iſtum canonem, utri Codices in vitio ſint, ii, qui legunt: *Clericus ne comam nutriat, nec barbam,* an qui addunt, *nec barbam radat.* Reſpondet Sirmondus, ex diverſorum ſeculorum conſvetudine deci-

ſionem eſſe petendam. Carthaginienſe quidem concilium ex more ſui ſeculi decreviſſe, ne Clericus barbam radat. Sequioribus autem temporibus aliam invaluiſſe conſvetudinem, & tum canonis iſtius nullum amplius fuiſſe uſum, *quia*, inquit, *poſtquam contra canonem radi a clericis barba cœpit, canonem, qui vetaret, extare non placuit.* At profecto, quod mutabilitati temporum obnoxium eſt, videtur reſpuere tam ſeveram prohibitionem, quæ fit ſub pœna excommunicationis. Nec mutanda ſunt verba decreti ante hac conditi, ob contrariam conſuetudinem introductam, cum ut ſua cuique decreto conſtet integritas, multum interſit Eccleſiæ Chriſtianæ, præſertim cum non continuo abrogata cenſeri debeant Eccleſiæ præcepta, ſicubi abuſus ipſis contrarius aliquando inoleverit. Willhelm. Wendrock. ad Ludov. Montaltii *epiſt. provinc. 6.*

XXXV. Optime Carolus Molinæos *in not. ad d. c. 5.* de talibus legibus judicat, dum ait: *Mutilus eſt textus, quia in dicto Concilio Carthaginienſi legitur:* neque barbam radat, *& ſic verbum*, radat, *falſò expungitur, ut quidam libello in id edito latius contendit. Et Plutarchus* in libro de ſera numinis vindicta *inter ridiculas ponit legem, ne quis barbam nutriat. Ego vero ridiculum puto, legem de alterutro fieri cauſa religionis, in qua hoc impertinens eſt. Ego quidem rado, nec ullis amicorum flagitationibus adduci potui, ut eam nutrirem. Sed ob id tantum facio, ut in opere meo ſim expeditior, nec tantillum quidem temporis in ea pexenda mihi depereat.* Verba ea expungi voluerunt Cenſores in indice expurgatorio *pag. 169.* ſine dubio ob id ſolum, quod Molinæus impertinens ad religionem putaverit, legem facere de promittendis aut reſecandis capillis, quod tamen veriſſimum eſt, cum ne tantillum ea faciat ad orthodoxiam aut veram religionem.

XXXVI. Ridiculum eſt, quod ex raſura tali integer ali-

quan-

quando exercitus pro presbyteris habitus fuerit a Britannis, cum Normanni Duce Wilhelmo Angliam transfretaſſent. Rem ita exponit Continuator Bedæ *lib. 3. c. 11.* Præmiſit (Heroldus, Rex Angliæ) *qui numerum hoſtium & vires ſpecularentur. Quos intra caſtra deprehenſos, Wilhelmus circa tentoria duci moxque largis eduliis paſtos Domino incolumes remitti jubet. Redeuntes percunctatur Heroldus, quid rerum apportent. Illi verbis ampliſſimis ductoris magnificam confidentiam proſecuti, ſerio addiderunt, pene omnes in exercitu illo presbyteros videri, quod totam faciem cum utroque labio raſam haberent, Angli enim ſuperius labrum pilis inceſſanter fruticantibus intonſum dimittunt. - - Subriſit Rex fatuitatem referentium, lepido inſecutus cachinno, quia non eſſent presbyteri, ſed milites armis validi, animis invicti* &c.

XXXVII. Fuerunt & mulieres olim attonſæ, & ſunt etiamnum tum in Orientali tum in Occidentali Eccleſia perquam multæ, non tamen eum in finem, ut ſacro aliquo aut Eccleſiaſtico miniſterio præfici queant. Et hinc etiam diverſus plane tonſurandi modus in illis obſervatur, quem propterea in genere duplicem facit Antonius Fabricius Bleynianus *de benefic. pag. 463.* Duplex eſt, inquit, *tonſurandi modus, videlicet in ſuperiore parte capitis, & in parte inferiori: prior enim ordinis eſt ſymbolum & a Dd. Clerica appellatur, nec in monialibus locum habet, ſed poſterior duntaxat, in crinium ſeu capillorum abſciſſione conſiſtens, & in ſignum renunciationis ſeculi, etiam ſimplicibus converſis uſitatus.* &c: Signum vero iſtud, quantum abfuerit ſæpe a re ſignata, & quam parum obſervata fuerit renunciatio, docere poteſt Ivo Carnotenſis *epiſt. 70.* ibique Fr. Juretus. Joh. Joſſelinus *in antiq. Eccleſ. Britann. in vit. Roberti Winchelſee.* Nicol. de Clemangiis *de corrupt. Eccleſ. ſtat. cap. 23.*

XXXVIII. Enimvero nulla olim fœmina, ut maxime

perpetuam virginitatem & continentiam profiteretur, tonderi ſe faciebat, propter monitum Apoſtoli, *1. Cor. XI. 6.* quod turpe ſit mulieri, tonderi aut radi. Et propterea ſeculo tertio, imperante Diocletiano & Maximiano, Victoria mulier, *ad ædem pudicitiæ portumque pudoris Eccleſiam intacta virgo confugit, ibique conſecrati DEO dicatique capitis in perpetuam virginitatem ſacratiſſimum crinem inconcuſſo pudore ſervavit.* uti habent Acta apud Steph. Baluzium *miſcell. lib. 2. pag. 69.* Cum vero in Paphlagonia deinceps & vicinis locis invaluiſſet, ut mulieres ſub prætextu religionis muliebrem comam ſibi detonderent, factum fuit in Concilio Gangrenſi *can. 17.* tale decretum: *Si qua mulier propter divinum cultum, ut æſtimat, crines attondet, quos ei DEUS ad ſubjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ, anathema ſit.* uti latine reddidit Dionyſius Exiguus. Repetitur apud Gratian. *c. quæcunque diſt. 30.*

XXXIX. Hæc verba cum ſibi, ſuisque hodiernis monialibus obſtare videret Card. Baronius *in martyrolog. ad d. 20. Sept. pag. 584.* ſollicite quærit reſponſionem, quam tandem petit ex Sozomeni *l. 3. cap. 14.* Verba ita ſe habent ex Henrici Valeſii verſione: *Unde mulieres haud paucas in fraudem inductas viros ſuos deſeruiſſe ajunt, easque cum ſe poſtea continere non poſſent, adulterium commiſiſſe: quasdam vero pietatis prætextu comam totondiſſe, & ſecus quam mulieres deceret, virili habitu indutas fuiſſe.* Loquitur de Euſtathio Epiſcopo nimium monaſtices ſtudioſo, & ex hoc in abſurdas quasdam aſſertiones prolapſo. Hæc autem verba poſteriora, perinde ut priora accipit Baronius de hæreticis mulieribus maritos deſerentibus, nec attendit, ſub novo ſegmento ea contineri, & per adverſativam particulam a prioribus ſeparari, prout apertius conſtat ex epiſtola Synodica ejus concilii canonibus præmiſſa, ſed & rationem indecentis tonſuræ & totius habitus

bitus poni in generali turpitudine ab omnibus & ſingulis mulieribus vitanda, quod & coma & reliquo habitu viros mentirentur.

XL. Nec certe aliter accepit verba canonis Theodoſius Magnus *Imp. in l. 27. C. Theod. de Epiſc.* quod nec diffitetur Baronius *d. l.* dum ſibi perinde adverſa iſtius Conſtitutionis verba obſervat, & ad diverſam Eccleſiarum conſvetudinem refert, cum tamen Theodoſius nihil aliud agere videatur, quam ut Gangrenſis Concilii decretum ante annos præter propter quinquaginta conditum, confirmet. Conſtitutio iſta in fine hæc habet verba: *Fœminæ quæ crinem ſuum contra divinas humanasque leges, inſtinctu perſvaſæ profeſſionis abſciderint, ab Eccleſiæ foribus arceantur: Non illis fas ſit ſacrata adire myſteria, neque ullis ſupplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare. Adeo quidem ut Epiſcopus tonſo capite fœminam ſi introire permiſerit, dejectus loco etiam ipſe cum hujusmodi contuberniis arceatur: ac non modo ſi fieri ſuaſerit, verum etiam ſi hoc ab aliquibus exigi, factum denique eſſe quacunque ratione compererit, nihil ſibi intelligat opitulari &c.* In compendium iſta redegit Sozomenus *l. 7. c. 26. Theodoſius lege lata cavit, ut fœminæ quæ comam totondiſſent, arcerentur ab Eccleſia, Epiſcopi vero, qui eas admittere auſi eſſent ſacerdotio privarentur.* Quid vero clarius dici potuiſſet in mulieres profeſſas capillos ſibi reſcindentes? Utve minus ea de re dubitari queat, produco *canonem 7.* Concilii Vernenſis celebrati anno DCCCXIV. cujus verba hunc in modum refert Servatus Lupus Abbas Ferrarienſis *pag. 200.* Si *quæ ſanctimoniales cauſa religionis, ut eis falſo videtur, vel virilem habitum ſumunt, vel crines attondent, quia ignorantia magis quam ſtudio eas errare putamus, admonendas caſtigandasque decernimus, ne forte veteris ac novi inſtrumenti prævaricatrices juxta Gangrenſem Synodum ſeveritate anathematis ab Eccleſiæ corpore præcidantur.* Ipſas ad ſanctimoniales applicat

Con-

Concilium hoc canonem Gangrenſem. Et quid ergo verbis opus eſt?

XLI. Facit vero Hieronymus *epiſt. 48.* ad Sabinianum mentionem tam virginum, quam viduarum in Ægypti & Syriæ monaſteriis, quæ ſe DEO voverint & ſeculum conculcarint, quæve crinem monaſteriorum matribus obtulerint deſecandum. Verba ipſe adducit Baronius *d. l.* Vixit autem Hieronymus exeunte ſeculo IV. quo ipſo etiam Theodoſii Conſtitutio edita fuit. Et præfectus Prætorio Orientis, ad quem Conſtitutio directa fuit, ſub diſpoſitione & regimine ſuo habuit, tum Syriam & Ægyptum, in quibus regionibus mos iſte tondendi apud moniales invaluit, uti refert Hieronymus, tum ipſam etiam Paphlagoniam, in qua ſitam fuiſſe ajunt, civitatem Gangram, natale ſolum Canonis ſupra adducti. Ex quibus omnibus firmiter concludo, moniales attonderi contra divinas & humanas leges, nec poſſe ullo modo ritum iſtum cum veteris Eccleſiæ decretis conciliari.

XLII. Sed ſufficiat tandem aliquando ex putidis iſtis Canoniſtarum lacunis hauſtus aquæ parum ſalubris. Ex dictis autem abunde liquet, nihil tam ineptum, vanum, inane, puerile & ridendum eſſe, quod non ad ſuperſtionem usque ſub ſpecie religionis, & ex neceſſitate quadam exactum velint Monarchiæ Eccleſiaſticæ fabricatores. Id vero perquam impudens eſt & a Chriſtiana fide prorſus alienum, quod ejusmodi ineptiæ & pueriles plane ceremoniæ Apoſtolis autoribus adſcribantur, quæ tamen ab omni ſacrarum literarum autoritate ac teſtimonio nudæ ſunt prorſus & deſtitutæ. Concludimus verbis Tertulliani *ex lib. de præſcript. hæret. c. 32. Ipſa doctrina eorum cum Apoſtolica comparata ex diverſitate & contrarietate ſua pronunciabit, neque Apoſtoli alicujus eſſe, neque Apoſtolici.*

S. D. G.

VAA 1531308

166.
D.
l.